


6
27 M
1



IVSTA ANNIVERSARIA HENRICO MAGNO

SEV

CONSOLATIO

AD

REGINAM GALLIÆ

Regis matrem regniq́ue moderatricem.

IN FVNESTAM MORTEM

HENRICI IV.

CHRISTIANISSIMI

FRANCORVM REGIS,

EIVSDEM AVGVSTISSIMI ATQVE

honoratissimi Coniugis.

Ex Gallico R. P. Richeomij Societatis IESV.







ANTVERPIÆ,

Ex Officina HIERONYMI VERDVSSI,

CIↃ. ƆIC. XIII.

Cum Priuilegio ad sexennium.

Reuerendo in Christo Patri,

P. RICHEOMIO

SOCIETATIS IESV.

S.





EDIT trans Alpes liber Romano cultu & habitu, qui sagatus ad nos venerat, & ecce vltrò in authoris inuolat sinum. Quanquam verecundatur certè in ista penula, qui antea picto florebat sago, & vt summo loco natus adolescens erubescit in obsoletiori veste, suæ sibi conscius nobilitatis. Timet, credo, ne à parente optimo repudietur, & illud audiat,

Quantùm mutatus ab illo!

Sed tamen vt pannosus Vlysses in fabulis, etiam tum gerit in fronte specimen aliquod generosi sanguinis, & ex eo poteris prolem regiam agnoscere. Ego certè Gallicæ eloquentiæ typum ea liberate sum consequutus, quæ neque solutior esset, neque scrupulosior. si minùs fuerim assequutus, dabit, credo, tua humanitas veniã tenuitati meæ, dabit temporis angustijs quæ me ista potiùs excutere, & , vt ait Magnus Athanasius, αὐτοσχεδιάζειν, quã scribere permittunt: dabis etiam tibi, qui Gallica ad tantum euexisti decus, quantum vix cuiusquam possit æquare latinitas. Erit illud, si non ingenij mei, saltem animi pignus in Deum, in Dei imaginem, in Regem, in Henricum Magnum, cuius memoria etsi spirat in ære, floret in tabulis, saxa & lapides animat, & in ipsis mundi medullis hæret atque visceribus. Nemo tamen vetat ex agello nostro anniuersarias libare inferias, quas recenti adhuc vulne-


 re de-

re dedimus, quas daturi sumus, quas si post centesimum annum ferre liceret, quis mihi tandem præposterum, in eo præsertim munere, tempus obijceret? Audient igitur Musarum alumni, qui Latina frequentius euoluunt quàm Gallica, munifici Principis decus: & si (quod aiunt) Apsephæ Regis aues humani sermonis dociles, quas ipse blādius enutrierat in cauea, cùm se nouo cælo credidissent, apotheώsin domino cecinerunt, quantò magis hæc iuuentus Hērici Magni liberalitate & auspicijs, in florentissimis gymnasijs instituta, non in ficti cuiuspiam numinis, sed in veri Mœcenatis gestiet laudes? Audient exteræ nationes, à quibus hæc desiderari intelligebam, religiosissimi Principis in Ecclesiam & Apostolicam sedem singularem obseruantiam. Audient in hanc Societatem promerita, & nostrum in mortui cineres amorem, quem cùm angustiæ pectoris humani non capiant, vbique terrarum cogimur effundere. Audiet Rex Ludouicus Martis & Gratiarum flosculus, qui Patris iam felicis sidere afflatus ab Heroïna Matre illustrissimarum virtutum imbibit temperiem, nullum nobis os, nullum calamum, nullum tempus satis esse ad diuini Parentis laudes celebrandas. Audiet, inquā, lubenter, & inter spirantes huius serenitatis Etesias, inter ridentes Liliorum flores, & pubescentes laureas, illum honoratissimi Patris cupressos interdum exosculari non pigebit. Neq; te pigeat, Reuerende Pater, hoc meo ore nōdum satis dedolato Latinis auribus loqui: quid facerē? lachrymas loquor & suspiria. Dicerem fortasse si possem eloquentiùs, non potui amantiùs.

Dyon. Prusæi. Schol. in orat. 1. de Regno.

Rothomagi. Kal. Aprilis CIↃ. IↃC. XI.

Vestræ Reuerentiæ in Christo seruus
NICOLAVS CAVSSINVS.





IVSTA ANNIVERSARIA HENRICO MAGNO.

1. FVNESTAM planè cataſtrophen (Regina Chriſtianiſſima) & omni vel ſenſu, vel opinione doloris acerbiorem, inter hanc præſertim communem inaugurationis lætitiam, inter feſta triumphorum fercula, inter magnificentiſſimos denique honores, qui partim nomini tuo ſoluebantur, partim etiam parabantur felicitati tuæ, Maiæ Idus attulerunt: cùm illa regalis columna, quæ ſola theatrum ſuſtentabat, in quo Maieſtatem tuam illuſtriſſimorum Principum ſplendor, lectiſſimę nobilitatis decus, & primaria huius Imperij capita honeſtabant, triſti & repentino lapſu corruit, vt quantùm antea tibi honoris reginæ Chriſtianiſſimæ Maieſtas, & tua virtus ſingularis demereri videbatur, tantùm miſerationis infeliciſſimi caſus acerbitas conciliet, quam eò maiorem eſſe oportet, quò antea publicæ hilaritatis curſus effuſior, & ſolemnis pompæ apparatus ornatior, & exitus luctuoſior fuit, qui te quaſi ex aſtris delapſam ad omnium extremas depreſſit calamitates.

2. TAntæ quidem cladi non modo Italia, ſed vniuerſa pariter Europa ingemuit, & nullus adeò ferus fuit, aut ferreus, qui tuis miſerijs non illacrymaret. At noſter hic ordo, quem priuatis beneficiorum nominibus regia domus tenet adſtrictum, priuatum quoque animo ex morte ſui Principis hauſit dolorem. Nunc verò propenſo ſtudio deſiderat, pij alicu- *Totius Europa gemitus in morte Regis Christian.*

ius officij lenimentis tuos permulcere cruciatus, quo erga defuncti Regis memoriam, & sepultos cineres, à quo illi, tanquam à parente optimo eodémque munificentissimo, omnia beneficiorum genera sunt concessa, sempiterni amoris & obseruantiæ statuat monumenta. Reuerendus Generalis, Pater Claudius Aquauiua tibi animi sui vulnus, quod ex tam inopinato casu contraxerat litteris, aperuit, suáque & suorum omnium studia Maiestati, tuæ consecrata lubenter obtulit, & per totam Societatem, quæ (quãtulacunque est) per vniuersum orbem terrarum sparsa est, ad subleuandos mortui manes, piacularia sacra indixit: tum verò ijs, qui sunt in Gallia, præcepit, vt non modò suis laboribus & vigilijs, sed etiam corporum (si res ferret) oppositu, tui Imperij statum tuerentur Vidi ego acerbissimum doloris sensum quem ex publica calamitate omnes huiusce Societatis nationes perceperunt, cuius cùm primùm fama ad nos delata est, tanto stupore omnium perculit animos vt fulminis ictum sensisse viderentur. Quòd si Christianissimi Regis salus alienæ vitæ iactura constaret, scio permultos esse ex eo numero, vel exteros, qui hãc emptionem suo sanguine sancitam vellent. Et certè nemo est, qui tuam Maiestatem aliquo amoris & obseruantiæ pignore nòn studeat consolari.

R.P. Generalis Claudius Aquauiua.

3. EGo verò inter cæteros eò calamitosior, quò viribus debilior & Christianiss. Regis memoriæ arctioribus vinculis sum deuinctus, vnus multorum concursu, omnium verò nomine, nostras litteris mandare aggredior querimonias, si fortè tibi doloris societas aliqua ex parte ægritudinem minuat. faciam equidem lubentissimè, quanquam me & casus acerbitas, & meæ tenuitatis conscientia non mediocriter deterreat. Est enim adeò funestus, vt meam non solùm cogitationem, sed multorum fidem superet, qui fictum esse, non factum putant. quo fit, vt mihi sensus adimat, & vocem suspirijs interclusam penè comprimat. habet hoc mediocris calamitas, vt parem sibi luctum inueniat. at hæc malorum moles stupore sensus confundit, & nos in miserijs facit elingues. parui nempe dolores loquuntur, ingentes stupent. Optandum mihi esset pectus Iobi, quod infestus tantę cladis turbo non conuelleret. Quæren-

Malorũ moles stupore sensus cõfundit.

renda vox Ieremiæ, quæ rem funestam satis dignè lamentaretur. exerendus quoque stylus ferreus, qui eadem ipsam in hominum medullas & viscera sempiternis notis incideret.

4. SOlent, qui viuos in amicorum morte consolantur, funebres texere laudationes quibus mortuorum memoriæ parentent. quod quidem ego si in augustissimi Regis exequijs facere conatus fuero, verendum erit credo, ne tot doloris aculeos excitem, quot laudum fundam argumenta, & si omnia pro dignitate dixero, qui te doloris vortices & miserrimam Franciam abripient! Etenim si regias eius virtutes, prudentiam dico, & bellicam industriam, clementiam, mansuetudinem, comitatem, religionem, pietatem, pugnas, victorias, triumphos, omnia denique ornamenta, quæ in eum Cælestes plena congesserant manu, vel minimo dictionis apparatu percensere coner, publicæ calamitatis sensus mœstissima quadam nube omnium inuoluet animos, noui lacrymarum imbres erumpent, noui scaturient fontes, singuli quidem per se magni, & si confluxerint vniuersi, immensum veluti mœroris Oceanum efficient. *Funebres laudationes.*

5. DIcam tamen. neq; enim tacendo nunc licet afflictos consolari, & atrocissimum casum, quantùm maximè potero, lamentabor. Exprimit has natura querimonias, tantis præsertim lacessita miserijs, quę dum apposité fiunt, nescio quo pacto confusam dolore mentem deonerant, & quibusdam solatiolis leniunt acerbitates. Mihi quidem sensum & vocem vis doloris eripit, at ratio ipsa, quę loqui iubet, materiam & verba suggerit; si iusta est animi affectio, menti nimirum obtemperatura est; si rationis expers, omnino non est audienda.

6. SEd quò me vertam (Regina Christianissima) vnde mihi ad tam tristem & tam funestam orationem aditus, vnde etiam exitus huic meæ imbecillitati, saluo (quod aiũt) clypeo, dabitur? Ostendam equidem in eo Rege, quem mecum tota vicissim luget Europa, ingenij & corporis dotes, susceptum auitæ religionis institutum, imperij cursum, & vitæ finem prorsus admirabilem fuisse; eóque orbatam Galliam fecisse iacturam incredibilem. Quinque sunt capita per quæ hæc funebris *Quinque partes huius consolationis.*

lamentatio excurret, eadem erunt fundamenta eius consolationis, quam tuæ maiestati, & vniuerso populo simul afferre conor, si forte præter vsitatum naturæ cursum, contraria ex cõtrarijs, è luctu solatium, frigus ex incendio, lumen ex vmbra, ex tristitia gaudium, ex iactura denique lucrum eliciam, erit omnino ratione caussarum effectus admirabilis, neque minùs admirationis habebit consolatio, quàm luctus ipse.

De Regis ornamẽtis

7. Ordiar igitur ab ipsa Regis persona, vt de eius ornamentis dicam breuiter: longas enim narrationes prætermittam iustis voluminibus, quæ posteritati relinquentur consignandas. Duæ potissimùm virtutes regem admirabilem & omnino dignum imperio præstare solent; prudentia, & armorum peritia: quarum vna pacis est & togæ, altera sagi atque bellorum: illa thesaurus est legum, hæc magistra disciplinæ militaris: illa sapienter amicis imperat, hæc feliciter hostes expugnat. Et ista quidem duo virtutum lumina, tanta dignitatis laude in Henrico Quarto effulserunt, vt non modò præter cæteros ætatis suæ Principes, sed & supra illos antiquitatis Imperatores, qui superioribus seculis floruerunt, sui nominis admirationem excitaret. Habebat in rerum administratione tam celeres ingenij motus, vt difficultatis nodos statim peruideret, ideq; explicatissimè dissolueret. Nullus in promouendis negotijs tum ciuilibus, tum militaribus subtilior, aut in dijudicandis consilijs sapientior, aut in eligendis cautior fuit. Vix res ad deliberandum erat proposita, cùm ipse quasi ignea mentis subtilitate cõcludebat. Ex capite reliquas corporis partes, & ex tenui principio totam orationis seriem facilè coniectabat. Erat rex pacis & armorum, in vno quidem Augustus, in altero Alexander, bellator prudentissimus, idémque fortissimus Imperator, quem vtriusque temporis experimenta comprobarant. Qui in pace atque otio, sapientiæ, in bello fortitudinis infinita protulit exempla. Erat in consilijs sagax & peracutus, in prælijs acer & animosus, inter prudentes sapiens consiliarius, inter bellicosos duces Imperator fortissimus.

Eius prudentia, in Bearnia & Nauarra Regnis gubernãdis.

8. Et Bearniæ quidem atque Nauarræ regna, quæ à parentibus acceperat, admodùm adolescens, tanta prudentia tutatus

est,

tus est, quãta vel à sene poterat exspectari, maiori etiã tranquillitate, quàm calamitosi temporis procellę ferebant; sed minori felicitate, quã aut eius mãsuetudo aut sapiẽtia postulabat. Quãta verò prouidentia florentissimũ Galliæ regnum vindicauit ab interitu! Difficile dictu est vtrùm fortiùs quæsierit, an quæsitũ sapientiùs administrârit, an administratum feliciùs propagârit. Illum sexaginta duo Reges antecesserant, qui sanguinis iure & continua quadam serie rerum potiti fuerant; quorum successor Henricus, hoc maiorum titulis addidit, vt regnum toties virtute compararet, quot in eo erant reguli, cùm Henrici Tertij morte in partam inuaderet hæreditatem. Tot verò regibus diuisum erat Imperium, quot in Gallia munitissimæ vrbes, in quibus quisque pro sua libidine dominabatur, & legitimum dominum, non modò Imperio, sed tecto & penatibus ipsis excludebat.

9. Quòd si Iosuæ summum illum Hebræorum ducem perennis fama excepit, qui, cùm in regionem sibi à Deo destinatam proficisceretur, vrbes quamplurimas obsidione cepit, & vno supra triginta regibus debellatis, totam Palęstinam redegit in ditionem; magna profectò Henrici Quarti laus, qui trecẽnta loca, situ & præsidijs circumuallata, expugnauit, & in pacãda Francia reges plusquàm sexaginta debellauit. Si Dauid militari gloria præstitit, quòd à puero multis & ingentibus pugnis esset exercitus, quantùm Regi nostro tribuendum arbitramur, qui priùs in castris versatus est, quã arma posset induere, & ea ipsa ætate qua cæteri sub campi doctore discunt, aut rudibus batuere, aut palum ferire, aut in Hippodromo equos agitare, ipse nullis vsus Magistris, summus erat totius exercitus Imperator, in cuius humeros difficillimorũ bellorum onus incumbebat. Et si militarium rerum penes summos duces est indicium, oraculo planè similem illustrissimus equitum magister Montelucus de Rege tulit sentẽtiam, quem cùm pæne puerum vidisset in castris, prædixit fore, vt ad summum bellicæ laudis efflorerct decus.

Iosue 31. reges debellauit.

Fortissimus Bellator Mareschalus Monlucus.

10. Sunt in prudentiæ comitatu duæ virtutes eximiæ, quarum non modò in rebus ciuilibus, sed & bellicis splendor est maxi-

mus, cautio & vigilantia. illa rei gerendæ occasionem sedulò aucupatur, hæc semel oblatam arripit, vt susceptum negotiũ expeditissimè conficiat. erat in vtroque regis prudentia singularis, quem futura cernere, non præuidere dixisses. atque, vt erat ardentibus & aquilinis oculis, acutissima quoque mentis acie vigebat, qua omnia accuratiùs collustraret. quamobrem si quid ab eo vehementiùs vrgeretur quod nondum maturum esset, expediendum quidem, sed suo tempore respondebat.

P. Laurentius Magius P. Laurentius Magius anno M. D. XCVII. à Generali Societatis Præposito ad eum Roma missus venerat, vt de nostra restitutione ageret; qui, cùm res longiùs protraheretur, abstinere non potuit quin diceret, Pariunt (Rex inuictissime) mulieres nono mense. at iam vigesimus quartus est, ex quo conceptum tuæ clemētiæ beneficium exspectamus; Ita planè (inquit) mulieres; at viri (mi Pater) seriùs pariunt: exspectate commodum tempus: aderit quidem paullò tardiùs, sed opportuniùs. Nec sanè promissis defuit. rem enim, vbi primùm ansa obiecta est, accersito ad se P. Petro Cottono, & P. Ignatio Armando, Frãciæ Prouinciali, maturè cōfecit, eo tempore quo P. Magius Auenione in Italiam cogitabat.

Vigilãtia. II. Tanta autem erat vigilantia, & ita statis quibusdam horis addictus, vt, si qua res militaris noctu gerenda esset eodem temporis momēto, quod sibi, cùm cubitum discederet, proposuerat, è somno excitaretur, quod sæpe in eo, tùm in vrbium obsidionibus, tum in armorum congressionibus cum admiratione fuit obseruatum. In rebus ciuilibus nusquam segnior fuit. ita vbique euigilata eius consilia cernebantur. Præclara verò non modò artis bellicæ, sed etiam politicæ, sibi longo vsu finxerat axiomata, quæ semper haberet in promptu.

Vitia Imperatorũ & Militum. Inciderat semel in cœna, vt apud bellicosos fieri solet, de re militari sermo: ille paucis, tum militum, tum imperatorum vitia & virtutes complexus est. Quosdam enim sola prudentiã præditos aiebat, qua vtrarumque partium vires explorarent, qui si paullò debiliores essent, nunquam se periculosę bellorum aleæ crederent. & hos quidem sapientes, ignauos appellabat;

nimis

nimis consideratos & languidos, qui nunquam dimicandum censerent, nisi partam haberent penè in manibus victoriam, ita nihil in sua virtute præsidij, collocabant. Alios, qui nullo consilio se in conferta hostium tela, eiacularentur, & quasi Mariani muli pondus ictuum sustinerent, cùm ipsi repugnare non possent, fortes stultos dictitabat. Eos pariter damnabat, qui belluarum more, sine ullo delectu in hostem insilirent. cæteros cōtrà vehementer laudabat, qui feriendi prudenter captarent occasionem, & dextrò Marte cæderent. Denique cùm de prudentia, cæterisque virtutibus, quæ eam comitari solent ageret, tam acuta, tam recondita pronunciabat effata, quæ ipse esset expertus, vt inustam menti prudentiæ ideam gerere, & quasi bellandi regendique typum in manu habere videretur. Itaque & leges & arma (quæ duo ornamenta in rege regnoq; omnia possunt) vnus & idem suggerebat; vt in toga, vt in sago, vt domi, vt militiæ apud amicos sui amorem; apud hostes terrorem excitaret.

12. His ego vnâ cum virtutibus clementiam, Regum atque Imperatorum gemmam, adnumero, qua inter Græcos Alexander Rex magnus & fortis imperator claruit: inter Romanos verò Cæsar ille Iulius animi lenitate laudem consequutus est ampliorem, quàm armis & victorijs, quibus omnes penè terrarum oras illustrauit. Fecit eadem mansuetudo, vt Titus Vespasianus, qui de Iudæa vltimus triumphauit, *Mundi deliciæ* vocaretur. rex apum aut nullum habet aculeum, aut si habet nūquam distringit; ita Deus in muta quadam & naturali regni specie, eximiā ciuilis principis prætulit imaginem. Et certè, si (quod sapientissimi homines prædicant) rex est viua quædam & spirās imago Diuinæ Maiestatis, eius sine dubio virtutis impressam pectori gestabit effigiem, quam Hēricus noster, si quisquam Rex alius, clarissimam præ se tulit. Fuit enim toto vitæ curriculo humanissimus, vel eo ipso tempore quo nōdum se veræ religioni addixerat, cùm non modò Catholicos non oderat, neque (prout fert Caluinistarum ingenium) insectabatur, sed quibuscumque poterat beneficijs, deuinctos tenere studebat, quod vel hoc vnum indicarit exemplum. Erat Mureti, anno M.D. LXXIX.

Clementia. *Alexāder Magnus Plutarchus in Alexandro.* *Iulius Cæsar. Plutarchus in Cæsare.* *Rex apū. Plinius. Aristotel.* *Titus Vespasianus*

Reuerendo in Christo Patri,

P. RICHEOMIO

SOCIETATIS IESV.



S.



EDIT trans Alpes liber Romano cultu & habitu, qui sagatus ad nos venerat, & ecce vltrò in authoris inuolat sinum. Quanquam verecundatur certè in ista penula, qui antea picto florebat sago, & vt summo loco natus adolescens erubescit in obsoletiori veste, suæ sibi conscius nobilitatis. Timet, credo, ne à parente optimo repudietur, & illud audiat,

Quantùm mutatus ab illo!

Sed tamen vt pannosus Vlysses in fabulis, etiam tum gerit in fronte specimen aliquod generosi sanguinis, & ex eo poteris prolem regiam agnoscere. Ego certè Gallicæ eloquentiæ typum ea liberate sum consequutus, quæ neque solutior esset, neque scrupulosior. si minùs fuerim assequutus, dabit, credo, tua humanitas veniã tenuitati meæ, dabit temporis angustijs quæ me ista potiùs excutere, &, vt ait Magnus Athanasius, αὐτοσχεδιάζειν, quã scribere permittunt: dabis etiam tibi, qui Gallica ad tantum euexisti decus, quantum vix cuiusquam possit æquare latinitas. Erit illud, si non ingenij mei, saltem animi pignus in Deum, in Dei imaginem, in Regem, in Henricum Magnum, cuius memoria etsi spirat in ære, floret in tabulis, saxa & lapides animat, & in ipsis mundi medullis hæret atque visceribus. Nemo tamen vetat ex agello nostro anniuersarias libare inferias, quas recenti adhuc vulne-


 re de-

re dedimus, quas daturi sumus, quas si post centesimum annum ferre liceret, quis mihi tandem præposterum, in eo præsertim munere, tempus obijceret? Audient igitur Musarum alumni, qui Latina frequentiùs euoluunt quàm Gallica, munifici Principis decus: & si (quod aiunt) Apsephæ Regis aues humani sermonis dociles, quas ipse blandiùs enutrierat in cauea, cùm se nouo cælo credidissent, apotheωsin domino cecinerunt, quantò magis hæc iuuentus Henrici Magni liberalitate & auspicijs, in florentissimis gymnasijs instituta, non in ficti cuiuspiam numinis, sed in veri Mœcenatis gestiet laudes? Audient exteræ nationes, à quibus hæc desiderari intelligebam, religiosissimi Principis in Ecclesiam & Apostolicam sedem singularem obseruantiam. Audient in hanc Societatem promerita, & nostrum in mortui cineres amorem, quem cùm angustiæ pectoris humani non capiant, vbique terrarum cogimur effundere. Audiet Rex Ludouicus Martis & Gratiarum flosculus, qui Patris iam felicis sidere afflatus ab Heroïna Matre illustrissimarum virtutum imbibit temperiem, nullum nobis os, nullum calamum, nullum tempus satis esse ad diuini Parentis laudes celebrandas. Audiet, inquã, lubenter, &, inter spirantes huius serenitatis Etesias, inter ridentes Liliorum flores, & pubescentes laureas, illum honoratissimi Patris cupressos interdum exosculari non pigebit. Neq; te pigeat, Reuerende Pater, hoc meo ore nõdum satis dedolato Latinis auribus loqui: quid facerẽ? lachrymas loquor & suspiria. Dicerem fortassè si possem eloquentiùs, non potui amantiùs.

Dyon. Prusæi. Schol. in orat. 1. de Regno.

Rothomagi. Kal. Aprilis CIↃ. IↃC. XI.

Vestræ Reuerentiæ in Christo seruus
NICOLAVS CAVSSINVS.



IVSTA



ANNIVERSARIA

HENRICO MAGNO.

1. FVNESTAM planè cataſtrophen (Regina Chriſtianiſſima) & omni vel ſenſu, vel opinione doloris acerbiorem, inter hanc præſertim communem inaugurationis lætitiam, inter feſta triumphorum fercula, inter magnificentiſſimos deniquè honores, qui partim nomini tuo ſoluebantur, partim etiam parabantur felicitati tuæ, Maiæ Idus attulerunt: cùm illa regalis columna, quæ ſola theatrum ſuſtentabat, in quo Maieſtatem tuam illuſtriſſimorum Principum ſplendor, lectiſſimę nobilitatis decus, & primaria huius Imperij capita honeſtabant, triſti & repentino lapſu corruit, vt quantùm antea tibi honoris reginæ Chriſtianiſſimæ Maieſtas, & tua virtus ſingularis demereri videbatur, tantùm miſerationis infeliciſſimi caſus acerbitas conciliet, quam eò maiorem eſſe oportet, quò antea publicæ hilaritatis curſus effuſior, & ſolemnis pompæ apparatus ornatior, & exitus luctuoſior fuit, qui te quaſi ex aſtris delapſam ad omnium extremas depreſſit calamitates.

2. TAntæ quidem cladi non modo Italia, ſed vniuerſa pariter Europa ingemuit, & nullus adeò ferus fuit, aut ferreus, qui tuis miſerijs non illacrymaret. At noſter hic ordo, quem priuatis beneficiorum nominibus regia domus tenet adſtrictum, priuatum quoque animo ex morte ſui Principis hauſit dolorem. Nunc verò propenſo ſtudio deſiderat, pij alicu- *Totius Europa gemitus in morte Regis Christian.*

ius officij lenimentis tuos permulcere cruciatus, quo erga defuncti Regis memoriam, & sepultos cineres, à quo illi, tanquam à parente optimo eodémque munificentissimo, omnia beneficiorum genera sunt concessa, sempiterni amoris & obseruantiæ statuat monumenta. Reuerendus Generalis, Pater Claudius Aquauiua tibi animi sui vulnus, quod ex tam inopinato casu contraxerat litteris, aperuit, suáque & suorum omnium studia Maiestati, tuæ consecrata lubenter obtulit, & per totam Societatem, quæ (quãtulacunque est) per vniuersum orbem terrarum sparsa est, ad subleuandos mortui manes, piacularia sacra indixit: tum verò ijs, qui sunt in Gallia, præcepit, vt non modò suis laboribus & vigilijs, sed etiam corporum (si res ferret) oppositu, tui Imperij statum tuerentur Vidi ego acerbissimum doloris sensum quem ex publica calamitate omnes huiusce Societatis nationes perceperunt, cuius cùm primùm fama ad nos delata est, tanto stupore omnium perculit animos vt fulminis ictum sensisse viderentur. Quòd si Christianissimi Regis salus alienæ vitæ iactura constaret, scio permultos esse ex eo numero, vel exteros, qui hãc emptionem suo sanguine sancitam vellent. Et certè nemo est, qui tuam Maiestatem aliquo amoris & obseruantiæ pignore non studeat consolari.

R.P. Generalis Claudius Aquauiua.

3. EGo verò inter cæteros eò calamitosior, quò viribus debilior & Christianiss. Regis memoriæ arctioribus vinculis sum deuinctus, vnus multorum concursu, omnium verò nomine, nostras litteris mandare aggredior querimonias, si fortè tibi doloris societas aliqua ex parte ægritudinem minuat. faciam equidem lubentissimè, quanquam me & casus acerbitas, & meæ tenuitatis conscientia non mediocriter deterreat. Est enim adeò funestus, vt meam non solùm cogitationem, sed multorum fidem superet, qui fictum esse, non factum putant. quo fit, vt mihi sensus adimat, & vocem suspirijs interclusam penè comprimat. habet hoc mediocris calamitas, vt parem sibi luctum inueniat. at hæc malorum moles stupore sensus confundit, & nos in miserijs facit elingues. parui nempe dolores loquuntur, ingentes stupent. Optandum mihi esset pectus Iobi, quod infestus tantę cladis turbo non conuelleret. Quæren-

Malorũ moles stupore sensus cõfundit.

renda vox Ieremiæ, quæ rem funeſtam ſatis dignè lamentaretur. exerendus quoque ſtylus ferreus, qui eadem ipſam in hominum medullas & viſcera ſempiternis notis incideret.

4. SOlent, qui viuos in amicorum morte conſolantur, funebres texere laudationes quibus mortuorum memoriæ parentent. quod quidem ego ſi in auguſtiſſimi Regis exequijs facere conatus fuero, verendum erit credo, ne tot doloris aculeos excitem, quot laudum fundam argumenta, & ſi omnia pro dignitate dixero, qui te doloris vortices & miſerrimam Franciam abripient! Etenim ſi regias eius virtutes, prudentiam dico, & bellicam induſtriam, clementiam, manſuetudinem, comitatem, religionem, pietatem, pugnas, victorias, triumphos, omnia denique ornamenta, quæ in eum Cæleſtes plena congeſſerant manu, vel minimo dictionis apparatu percenſere coner, publicæ calamitatis ſenſus mœſtiſſima quadam nube omnium inuoluet animos, noui lacrymarum imbres erumpent, noui ſcaturient fontes, ſinguli quidem per ſe magni, & ſi confluxerint vniuerſi, immenſum veluti mœroris Oceanum efficient. *Funebres laudationes.*

5. DIcam tamen. neq; enim tacendo nunc licet afflictos conſolari, & atrociſſimum caſum, quantùm maximè potero, lamentabor. Exprimit has natura querimonias, tantis præſertim laceſſita miſerijs, quę dum appoſitè fiunt, neſcio quo pacto confuſam dolore mentem deonerant, & quibuſdam ſolatiolis leniunt acerbitates. Mihi quidem ſenſum & vocem vis doloris eripit, at ratio ipſa, quę loqui iubet, materiam & verba ſuggerit; ſi iuſta eſt animi affectio, menti nimirum obtemperatura eſt; ſi rationis expers, omnino non eſt audienda.

6. SEd quò me vertam (Regina Chriſtianiſſima) vnde mihi ad tam triſtem & tam funeſtam orationem aditus, vnde etiam exitus huic meæ imbecillitati, ſaluo (quod aiūt) clypeo, dabitur? Oſtendam equidem in eo Rege, quem mecum tota viciſſim luget Europa, ingenij & corporis dotes, ſuſceptum auitæ religionis inſtitutum, imperij curſum, & vitæ finem prorſus admirabilem fuiſſe; eóque orbatam Galliam feciſſe iacturam incredibilem. Quinque ſunt capita per quæ hæc funebris lamen- *Quinque partes huius eiulationis.*

lamentatio excurret, eadem erunt fundamenta eius consolationis, quam tuæ maiestati, & vniuerso populo simul afferre conor, si forte præter vsitatum naturæ cursum, contraria ex cōtrarijs, è luctu solatium, frigus ex incendio, lumen ex vmbra, ex tristitia gaudium, ex iactura denique lucrum eliciam, erit omnino ratione caussarum effectus admirabilis, neque minùs admirationis habebit consolatio, quàm luctus ipse.

De Regis ornamentis

7. Ordiar igitur ab ipsa Regis persona, vt de eius ornamentis dicam breuiter: longas enim narrationes prætermittam iustis voluminibus, quæ posteritati relinquentur consignandas. Duæ potissimùm virtutes regem admirabilem & omnino dignum imperio præstare solent; prudentia, & armorum peritia: quarum vna pacis est & togæ, altera sagi atque bellorum: illa thesaurus est legum, hæc magistra disciplinæ militaris: illa sapienter amicis imperat, hæc feliciter hostes expugnat. Et ista quidem duo virtutum lumina, tanta dignitatis laude in Henrico Quarto effulserunt, vt non modò præter cæteros ætatis suæ Principes, sed & supra illos antiquitatis Imperatores, qui superioribus seculis floruerunt, sui nominis admirationem excitaret. Habebat in rerum administratione tam celeres ingenij motus, vt difficultatis nodos statim peruideret, idēq; explicatissimè dissolueret. Nullus in promouendis negotijs tum ciuilibus, tum militaribus subtilior, aut in dijudicandis consilijs sapientior, aut in eligendis cautior fuit. Vix res ad deliberandum erat proposita, cùm ipse quasi ignea mentis subtilitate cōcludebat. Ex capite reliquas corporis partes, & ex tenui principio totam orationis seriem facilè coniectabat. Erat rex pacis & armorum, in vno quidem Augustus, in altero Alexander, bellator prudentissimus, idémque fortissimus Imperator, quem vtriusque temporis experimenta comprobarant. Qui in pace atque otio, sapientiæ, in bello fortitudinis infinita protulit exempla. Erat in consilijs sagax & peracutus, in prælijs acer & animosus, inter prudentes sapiens consiliarius, inter bellicosos duces Imperator fortissimus.

Eius prudentia, in Bearniæ & Nauarræ Regnis gubernādis.

8. Et Bearniæ quidem atque Nauarræ regna, quæ à parentibus acceperat, admodùm adolescens, tanta prudentia tutatus est,

tus est, quãta vel à sene poterat exspectari, maiori etiã tranquillitate, quàm calamitosi temporis procellę ferebant; sed minori felicitate, quã aut eius mãsuetudo aut sapiẽtia postulabat. Quãta verò prouidentia florentissimũ Galliæ regnum vindicauit ab interitu! Difficile dictu est vtrùm fortiùs quæsierit, an quæsitũ sapientiùs administrârit, an administratum feliciùs propagârit. Illum sexaginta duo Reges antecesserant, qui sanguinis iure & continua quadam serie rerum potiti fuerant; quorum successor Henricus, hoc maiorum titulis addidit, vt regnum toties virtute compararet, quot in eo erant reguli, cùm Henrici Tertij morte in partam inuaderet hæreditatem. Tot verò regibus diuisum erat Imperium, quot in Gallia munitissimæ vrbes, in quibus quisque pro sua libidine dominabatur, & legitimum dominum, non modò Imperio, sed tecto & penatibus ipsis excludebat.

9. Quòd si Iosuæ summum illum Hebræorum ducem perennis fama excepit, qui, cùm in regionem sibi à Deo destinatam proficisceretur, vrbes quamplurimas obsidione cepit, & vno supra triginta regibus debellatis, totam Palęstinam redegit in ditionem; magna profectò Henrici Quarti laus, qui trecenta loca, situ & præsidijs circumuallata, expugnauit, & in pacãda Francia reges plusquàm sexaginta debellauit. Si Dauid militari gloria præstitit, quòd à puero multis & ingentibus pugnis esset exercitus, quantùm Regi nostro tribuendum arbitramur, qui priùs in castris versatus est, quã arma posset induere, & ea ipsa ætate qua cæteri sub campi doctore discunt, aut rudibus batuere, aut palum ferire, aut in Hippodromo equos agitare, ipse nullis vsus Magistris, summus erat totius exercitus Imperator, in cuius humeros difficillimorũ bellorum onus incumbebat. Et si militarium rerum penes summos duces est indicium, oraculo planè similem illustrissimus equitum magister Montelucus de Rege tulit sentẽtiam, quem cùm pæne puerum vidisset in castris, prædixit fore, vt ad summum bellicæ laudis effloreret decus.

Iosue 31. reges debellauit.

Fortissimus Bellator Mareschalus Monlucus.

10. Sunt in prudentiæ comitatu duæ virtutes eximiæ, quarum non modò in rebus ciuilibus, sed & bellicis splendor est maxi-

mus, cautio & vigilantia. illa rei gerendæ occasionem sedulò aucupatur, hæc semel oblatam arripit, vt susceptum negotiũ expeditissimè conficiat. erat in vtroque regis prudentia singularis, quem futura cernere, non præuidere dixisses. atque, vt erat ardentibus & aquilinis oculis, acutissima quoque mentis acie vigebat, qua omnia accuratiùs collustraret. quamobrem si quid ab eo vehementiùs vrgeretur quod nondum maturum esset, expediendum quidem, sed suo tempore respondebat.

P. Laurentius Magius P. Laurentius Magius anno M. D. XCVII. à Generali Societatis Præposito ad eum Roma missus venerat, vt de nostra restitutione ageret; qui, cùm res longiùs protraheretur, abstinere non potuit quin diceret, Pariunt (Rex inuictissime) mulieres nono mense. at iam vigesimus quartus est, ex quo conceptum tuæ clemétiæ beneficium exspectamus; Ita planè (inquit) mulieres; at viri (mi Pater) seriùs pariunt: exspectate commodum tempus: aderit quidem paullò tardiùs, sed opportuniùs. Nec sanè promissis defuit. rem enim, vbi primùm ansa obiecta est, accersito ad se P. Petro Cottono, & P. Ignatio Armando, Fráciæ Prouinciali, maturè cõfecit, eo tempore quo P. Magius Auenione in Italiam cogitabat.

Vigilãtia. II. Tanta autem erat vigilantia, & ita statis quibusdam horis addictus, vt, si qua res militaris noctu gerenda esset eodem temporis momẽto, quod sibi, cùm cubitum discederet, proposuerat, è somno excitaretur, quod sæpe in eo, tum in vrbium obsidionibus, tum in armorum congressionibus cum admiratione fuit obseruatum. In rebus ciuilibus nusquam segnior fuit. ita vbique euigilata eius consilia cernebantur. Præclara verò non modò artis bellicæ, sed etiam politicæ, sibi longo vsu finxerat axiomata, quæ semper haberet in promptu.

Vitia Imperatorũ & Militum. Inciderat semel in cœna, vt apud bellicosos fieri solet, de re militari sermo: ille paucis, tum militum, tum imperatorum vitia & virtutes complexus est. Quosdam enim sola prudentia præditos aiebat, qua vtrarumque partium vires explorarent, qui si paullò debiliores essent, nunquam se periculosę bellorum aleæ crederent. & hos quidem sapientes, ignauos appellabat; nimis

nimis consideratos & languidos, qui nunquam dimicandum censerent, nisi partam haberent penè in manibus victoriam. ita nihil in sua virtute præsidij, collocabant. Alios, qui nullo consilio se in conferta hostium tela, eiacularentur, & quasi Mariani muli pondus ictuum sustinerent, cùm ipsi repugnare non possent, fortes stultos dictitabat. Eos pariter damnabat, qui belluarum more, sine ullo delectu in hostem insilirent. cæteros cōtrà vehementer laudabat, qui feriendi prudenter captarent occasionem, & dextro Marte cæderent. Denique cùm de prudentia, cæterisque virtutibus, quæ eam comitari solent ageret, tam acuta, tam recondita pronunciabat effata, quæ ipse esset expertus, vt inustam menti prudentiæ ideam gerere, & quasi bellandi regendique typum in manu habere videretur. Itaque & leges & arma (quæ duo ornamenta in rege regnoq; omnia possunt) vnus & idem suggerebat; vt in toga, vt in sago, vt domi, vt militiæ apud amicos sui amorem; apud hostes terrorem excitaret.

12. His ego vnâ cum virtutibus clementiam, Regum atque
Imperatorum gemmam, adnumero, qua inter Græcos Alexan- *Clementia.*
der Rex magnus & fortis imperator claruit: inter Romanos verò Cæsar ille Iulius animi lenitate laudem consequutus est ampliorem, quàm armis & victorijs, quibus omnes penè terrarum *Alexāder Magnus Plutarchus in Alexandro.*
oras illustrauit. Fecit eadem mansuetudo, vt Titus Vespasianus, qui de Iudæa vltimus triumphauit, *Mundi deliciæ* vocaretur. rex apum aut nullum habet aculeum, aut si habet nūquam distringit; ita Deus in muta quadam & naturali regni specie, eximiā *Iulius Cæsar. Plutarchus in Cæsare.*
ciuilis principis prætulit imaginem. Et certè, si (quod sapientissimi homines prædicant) rex est viua quædam & spirās imago *Rex apū. Plinius. Aristotel.*
Diuinæ Maiestatis, eius sine dubio virtutis impressam pectori gestabit effigiem, quam Hēricus noster, si quisquam Rex alius, *Titus Vespasianus*
clarissimam præ se tulit. Fuit enim toto vitæ curriculo humanissimus, vel eo ipso tempore quo nōdum se veræ religioni addixerat, cùm non modò Catholicos non oderat, neque (prout fert Caluinistarum ingenium) insectabatur, sed quibuscumque poterat beneficijs, deuinctos tenere studebat, quod vel hoc vnum indicarit exemplum. Erat Mureti anno M.D. LXXIX.

cum Regina matre, cùm illustrißimo Cardinali Borbonio & frequenti primæ nobilitatis cœtu; hîc Patrum Fuliensium Abbas (vt fieri solet) conciones habebat, quem Rex lubentissimè vidit, & diu cum eo, aperto capite singulari humanitate & modestia est colloquutus. tum quicquid gratia & auctoritate efficere posset, non semel obrulit. ex quo vir sanctus non minori gaudio quàm admiratione afficiebatur. Ad summum, cùm tantam videret principis facilitatem, neq; aliud haberet in votis quod postularet; publicæ fidei litteras petit, quibus in Bearniam profectus, nonnulla ex mandato Cistersiensis Abbatis cœnobia visitaret. satisfecit Rex petitioni & illico diploma quod requirebat dari iussit, tam exquisitis verbis vt religioso viro omnia amoris & obseruantiæ caderent officia ab ijs ipsis quorum antea aspectum ferre minimè potuisset. Quod quidem beneficiũ, in ea præsertim religione, tam prompto, tam candido, tam liberali denique animo concessum, regij pectoris & profusę mansuetudinis indicium erat non vulgare. Sed quid mirum si talis fuerit erga innocentes viros, qui infensissimis etiam hostibus fuit æquior quàm causa postularet. nemo illum adeò capitali odio est prosequutus, nemo tantis lacessiuit contumelijs, cui non modò non parceret, sed etiam in fidem & amicitiam, qua minimè indigere videbatur, reciperet. quòd si qui iustitiæ telum senserint, ex eo opinor factum est, quòd misericordiam sua sponte satis incitatam, excluserint. quanquam eius animaduersio nunquam à misericordia fuerit seiuncta. de iustitiæ enim statera nonnihil semper detrahebat, & vindicem gladium suo nutu in consceleratorum ceruices ruentem comprimebat. remittebat quicquid poterat, & multos, in quos ferrum exercere, diuina & humana iura permittebant, seruabat incolumes, ea spe inductus, fore vt resipiscerent. Sed & eò prouecta est animi lenitas, quò enim non proueheretur? vt multos in flagranti adhuc scelere deprehensos non modò miseratione dignos putaret, si facti conscientia torquerentur, immo etiam veniã & vitam, quod multis contigisse certum est, impetraret. Hæc est planè illustris diuinæ mansuetudinis imitatio, quæ vltro se delinquentibus offert, nullis

pre-

precibus euocata; hoc dignum Christo facinus, qui in medio cruciatu pro carnificibus orabat; hæc magnanimi principis; hæc Christianissimi Regis nota, quam omnes anni excipient consequentes.

Philippus Rex Macedonum clementiæ laudibus fertur in cœlum, qui, cùm milites de sua existimatione detrahentes audiuisset è tentorio, dimisit integros, tantùm monuisse contentus, vt, aut longiùs secederent, aut summissa leniùs voce loquerentur. At Henricus Magnus non tantùm priuatis hominibus, quorum infinita fuit multitudo, sed vniuersis vrbibus quotquot eum aut facto aut dicto læserant, humanissimè pepersit. Atque vt eam virtutem crebris factis vsurpare, ita etiam dictis eius pulchritudinem ostentare, à fonte arcescere, & contrariorum vitiorum dissimilitudinem illustrare solitus erat. Dictitabat enim sæpè, misericordiam magni & generosi pectoris germen; contrà, vindicandi libidinem angusti, humilis & depressi animi sobolem esse non obscuram. *Philipp. Rex Macedonū Plutarch. in Apophtheg.*

13. Aliam præterea virtutem habuit, quæ parua quidem nonnullis videtur, quorum prominentes oculi, & acies hebetior: sed tamen æternæ sapientiæ iudicio magna est & planè regia: neque solùm Christianis, qui ad cælum affectant viam, sed ipsis terrarum dominis ad bene beateque agendum pernecessaria. Hæc est sensus modestia & humilitas, magnarum mentium illustrissimorumque factorum comes perpetua, necnon egregiarum virtutum seminarium, quam partim in cognitione sui, partim etiam in quotidiani congressus moderatione, & summa affabilitate sermonis palam ferebat. Suam enim imbecillitatem & humanos errores non modò agnoscebat, sed vbi ferebat occasio magno cum doloris sensu fatebatur, tum sibi suorum delictorum conscius, non modò in ipsis pietatis officijs quibus mentis ardor solet esse promptior, sed in familiari colloquio infra nihilum se demittebat. *Humilitas & modestia.*

14. Tanta autem & tam suauis erat in eius consuetudine moderatio, vt se non minùs hominem, quàm hominibus præesse meminisset, ita sibi quemque parem ducere videbatur. Et si Caius Cæsar tantam comitatis laudem est adeptus, quòd *Consuetudo.*

milites socios salutaret; quanta debetur Henrico, qui populares suos vel sellularios artifices tam iucundè, tam comiter excipiebat & alloquebatur, vt quasi suæ conditionis consortes haberet. non quòd humili esset, & rusticula morum simplicitate, quæ se ad grauitatem attollere non posset, sed data opera Rex sapientissimus imperatoriæ Maiestatis decus, quò illustrius fieret, singulari vitæ modestia temperabat. Vestitus cultusque corporis adeo simplex erat, vt inter aulicos non gemmis aut purpura, sed solo Maiestatis nomine aut regali aliquo munere dignosceretur. Atque hæc quidem virtus in eo fuit illustrior; quòd à puero in ijs educatus fuerat scholis, quæ, cùm omni virtuti, tum modestiæ & humilitati sunt inimicissimæ: *Hæresis schola superbiæ.* Hæresin (dico) parentem & prolem superbiæ, sentinā omnium scelerum; & militiam licentiæ plenam & vanitatis cæterorūque flagitiorum, quæ non ex artis disciplina, sed ex deprauata *Militia licentiæ plena.* quadam libertate, infinitisque vitiorum periculis proficiscuntur. Quare cùm ex ijs impudentiæ nequitiæque gymnasijs non modò nihil contagionis suis moribus illini passus fuerit, sed contrarias etiam excoluerit virtutes, planè animam bonam *Sap. 19.* sortitus erat, qualem diuina Sapientia commendat, tanquam cæterarum virtutum fundamentum, & futuræ beatitudinis indicium, modò diligenti culturā promoueatur.

15. *Fides & veritas.* Dictorum factorumque constantia & veritas Rege summoque Imperatore dignissima est, cuius nuda & simplex oratio æquè sancta esse debet ac cæterorum hominum sacramentum. Hæc verò in Henrico Magno pręcipua laus claruit, cuius promissa vel suspiciosi hostes, non tamquam certa fidei pignora, sed quasi præsentem numeratamque pecuniam habere solerent.

16. Maximorum operum, nobilissimorumque facto- *Eloquētia* rum comes dicendi facultas, regia planè res est, & inuicti principis ornamentum singulare. eiusdem est enim gladio hostes concidere, & eloquentia suos animare milites. in vtroque magnus Iulius Cæsar, in vtroque Cæsarem Henricus adæquauit. Res bellicas attigi superiùs. Hîc mihi commemoranda est eloquentia. non erat illa mellitis sparsa verborum globulis, aut Rhe-

Rhetorum texta flosculis: sed grandis & nervosa oratio, sententiosis vibrata laconismis, quæ ex recondita sapientia, & ingenij subtilitate oriebatur, & quibusdam quasi gradibus exaggerata surgebat. quod multæ quidem sententiæ, quas non abstrusa quædam eruditio, sed felicissimi ingenij sagacitas expromebat, tum dictorum acumina & responsa extemporanea satis declarant.

Regis Apophthegmata.

17. Ecclesiam Catholicam singulari doctrina his temporibus eminere pronunciabat, quod crebris disputationum aduelitationibus cum hæreticis hostibus congressa, generosos, imitaretur milites, qui in campi puluere certando, equitando, digladiando, corporis vires continuis exercitationibus acuunt. Concionatoris notus in exordio artificiosos; in peroratione naturales; & quid quisque dicendo posset, ex fine conijciendum esse. Præclarè sibi consulturos Reges aiebat, si in delicijs haberent, qui omnium essent optimi, fortes illos esse pariter & magnanimos qui principum vitia liberè arguerent. Regis non esse dicere, sed regere. Nihil vetare quo minùs regum liberi Musicorum audirent acroamata: Musicam autem discere aut fidibus canere nolebat, cùm præsertim hæc ars nihil illis præter quàm ad amatorias illecebras sit profutura. Quod quidem pessimum documentum peruersæ naturæ contagione celeriùs irrepit animo quàm magistri præceptis egeat. Regum quidem propria in pace instrumenta sceptrum esse, & manum iustitię in bello, gladium. hęc ijsdem regiè tractanda, hęc vtroque tẽpore vsurpanda prędicabat. Prudentię, iustitię, fortitudinis, temperantiæ, cæterarumque virtutum temperiem, regiam planè cantilenam esse, saluberrimarum legum numeris adstrictam, quam quisque quaternis vocũ modulis solus canere posset. Musicas verò artes plebeiorum esse hominum, non regũ. ex quo Philippus Rex Macedonum, cùm Alexandrum videret inter Musicos magna ingenij artisque gloria cantillantem, Num te pudet (inquit) tam scitè canere? Pertinaciam optimis imperijs esse inimicam, eamdemque vecordiæ & ignauię sobolem, quantumcunque prudentis hominis & animosi personam assumeret. Eum qui æquo animo sit, etiam id tenere quod-

Ecclesia experimentis erudita.

Concionatores

Sapiẽtes Regum amasii.

Regum fides & organa musica.

Philipp. Plutarchus.

Pertinacia.

quod non habeat: contrà, cupidum & libidinosum, etiã quę in manu teneat, concupiscendo amittere. Pacem optimam; bellum esse & mortem improbis. Inter Christianos eos prudentiùs facere qui cùm semel bellum vitijs & prauis tum animi, tum corporis affectibus indixissent, pectus ad virtutes seriò fingerent, & mente corpus, vt mancipium domini imperio, frenarent; non eos, qui cùm & vitæ austeritate & continuis cruciatibus afflictarentur, in ira, in ambitione, in vanitate, in omni libidine exultarent. Deferebat quispiam ministros Caluinianos, quòd affectatas per Galliam diuulgassent querimonias, & inepta, vt solent, capita perscripsissent, quæ Regi in Ambianensi obsidione occupato, & hoc quasi negotiorum fluctu laboráti, essent oblaturi, Quid mirum? (inquit) ministri sunt pisces in aqua turbida. Tonsor cùm capillũ abraderet, Regis barbam dixerat ex altera parte magis canescere; Hâc (inquit) afflarunt aduersæ fortunæ venti.

Querimoniæ ministrorum.

Malus scriptor.

18. Ineptum quendam scriptorem, qui librum emiserat in lucem, vir apprimè nobilis excusabat, quòd litteras non didicisset: Hæc excusatio (inquit) gemina accusatio est, ignorantiæ & temeritatis. satiùs est tacere, quàm ineptè loqui, & meliori cõditione mutus est, quàm futilis loquutuleius. Medici quidam, inter suos doctrina & auctoritate præcipui, ab Hæreticis defecerant ad Catholicos: quod cùm audîsset; Planè (inquit) deposita res est Hugonottorum, quæ relinquitur à Medicis. Sororem laudabat nobilis Caluinista, quòd sola pro Hæreticis acerrimè pugnaret. tum Rex subridens; Pessimè se habet vestra religio, cui colus telum, & dux fœmina. Insectabatur calumniator Iesuitas, quòd optima ingenia eligerẽt, quæ in suam ascriberent societatem; Atqui virtutis est (inquit) in vnaquaque re sumere, quod est optimum: soleo & ego milites concenturiare, quam lectissimos. opus est illis nauis & summa virtute præditis hominibus ad sua munia obeunda, quæ parua non sunt. ex multis, qui vltrò se offerunt, deligunt magis idoneos. quid tandẽ in eo mali est? Aliâs vir minimè malus, sed non satis prudens, sub finem prandij accedit molestus interpellator, clamat, quiritatur, fidem & iustitiam implorat;

Iesuitæ.

rat; Ego tibi, Rex Inuictissime, rem dictu fœdam & detestabilem narraturus venio. Caue, inquit, his auribus dixeris si fœda est detestabilis. Pergit homo, vt erat commotior; Plagiarij Iesuitæ filium mihi annos quindecim natum surripuerunt. quæ mens? quod iudicium puero ad vitæ genus eligendum? Tum Rex; Minimum, inquit, nam patri pæne nullum est.

Accusabant Iesuitas Hæretici; quòd res principum agerent; Hoc est, inquit, eorum qui Iesuitas oderunt, intercalare epodium. sed nihil ad rem. vestri sunt ministri, qui ciuilia tractant sæpiùs quàm Theologiam; qui toti sunt in suis conuenticulis, non Ecclesiasticis, sed ciuilibus frequentandis, politici magis, quàm Theologi. Cùm de euertenda pyramide ageretur, dixit vir primariæ nobilitatis; Tua caussa (Rex inuictissime) erecta est: Et mea caussa, inquit, diruetur. Retorsit quispiam alius; Tui serui moliti sunt: Et dominus, inquit, demolietur. Hæc erat diuini ingenij subtilitas, hæc eloquentiæ acumina, hæc eximiarum virtutum ornamenta: quibus accedebat lepor & venustas, candor affabilitásque sermonis cùm placida quadam tranquillitate, & reliqua quæ cum in ceteris hominibus vulgaria esse soleant, in eo tamen erant regia. Verùm prætereo, ne longior sim: neque enim cõstitui historiam scribere, sed locupletissimi ingenij diuitias quasi per transennam oculis subijcere. *Res principum.*

19. Præclara quidem illa decora, sed tamen solidarum virtutum titulum sustinere non poterant, donec veræ religioni aggregata, spiritum haurirent de cælo, sine quo & salus nulla est, & omnis virtutis species adumbrata. Quamobrem D. O. M. (qui Illustrissimi Principis animo quosdam pietatis asperserat igniculos, qui essent destinatæ semina beatitatis) eum ad se commodè & loco pellexit, cælestibus donis tanquã viuis coloribus ornauit, iterque præmuniuit, quo se insinuaret in Ecclesiam, & ad maiorum rediret religionem, vt, qui regni consors esset & sanguinis, eiusdem quoque particeps esset felicitatis. Res contigit post mortem Henrici Tertij, cui iure sanguinis erat successurus, vt ex rege Nauarræ rex Christianissimus, & filius Ecclesiæ primogenitus euaderet. Multa sunt *Suscepti Catholicæ religionis institutũ.*

quæ hunc cœlestem diuinæ mentis afflatū admirabilē prorsus reddidere. In primis quidē numinis gratia singularis, quæ innatæ cum lacte nutricis hæreseωs labē feliciter ex eius animo expulit, tum ipsius principis regia quędam prudentia & magnanimitas, quòd non vi coactus, non humanarum rerum spe incitatus, non amplissimorum honorum immensarumque diuitiarum desiderio adductus, melioris religionis consiliū susceperit. Hoc enim meræ libertatis opus arbitrabatur, quod Dei amor & salutis ratio, non impulsus hominum aut exspectatio præmiorum efficeret. Alioqui carendum potiùs regno Franciæ quàm cælo. Vox planè magnifica, & ea longè nobilior, quam Caius Cæsar frequenter habebat in ore.

Dictum Cæsaris impium.

Si violandum est ius, regnandi gratia
Violandum est: alijs rebus pietatem colas.

Ad summum manus dedit, re abundè perspecta, & ipso tempore, quo Franciam pæne totam in suam redegerat ditionem. Ex quo facilè conijci potuit, eum suopte nutu, nulla aliena impulsione, ad Catholicorum castra conuolasse: ex quo duplici laude dignus sit, tum quòd in consilij maturitate, quam in re tam graui & seria adhibuit; tum quòd præ animi salute, in imperij contemptu (quo nihil inter mortales constat esse pretiosius) perstiterit.

20. Neque verò gloriosi operis laudem, humanorum quædam ratio præmiorum admista, sustulisset: Diuina enim prouidentia his plerumque momentis homines rapit ad virtutem, & rerum terrenarum illecebra captat animos, quos deinde cælestis saporis suauitate perfundat. Sic Abrahamum numerosa posteritas & Cananæorum regnum ad Dei obsequium: sic Constantinum Magnum lepræ curatio ad Christianā fidem amplexandam compulit. Quid si igitur Nauarræ Regi dixisset Deus, Erras Henrice, hæresi nuncium remitte, redi ad auitam religionem. ego tibi regnum sanciam, quod iniqua temporum licentia conatur eripere. ego te Franciæ Regem constituam, constitutum omni bonorum affluentia cumulabo. Nónne legitima fuisset illa ad optimum finem via? per terrenum regnum, ad cœleste; per fragilem gloriam, ad immor-

Præmia humana mortaliū illecebræ.

Abrahamus.

Constantinus.

mortalem, Deo duce atque auctore, gradum facere?

21. Sunt & alia ornamenta, quæ hoc cælestis sapientiæ donum reddunt illustrius, tum præcipuè intimis lux affusa sensibus, & singularis in Deum caritas imis visceribus inusta. illa Catholicæ religionis decus subijciebat oculis, vt eam vita cariorem æstimaret: hæc generosi amoris facibus pectus accendebat, vt Christianam fidem propagaret, hæresim impugnaret, errore & amentia cæcos homines ad Christum suauiter & iucundè reuocaret. Quod re & verbis vbique, cùm tulit occasio, satis luculenter testatus est. Erat aliquando in frequenti illustrissimorum hominum cœtu, vbi de studio, quo quisque erga fidem affectus esse deberet, agebatur. tum ille, Multorum, inquit, erratorum mihi conscius sum, quæ dolorem incutiunt non mediocrem: nemo est enim (non dicam in regno, sed in his quidem terris) qui pluribus peccatis sit adstrictus quàm ego: quod verò ad fidem Catholicam, Apostolicam & Romanam attinet, ad quam me Deus, non vis humana compulit, (de sensu meo loquar) ferrem priùs me cum D. Bartholomæo pelle exui, aut cum D. Laurentio subiectis ignibus in craticula torreri, quàm tantillum à fide semel susceptа discederem. Quæ cùm diceret, vbertim collacrymabat, vt non tam verbis, quàm manantibus lacrymis constantem in fide animum significaret.

Fides.

Zelus erga fidem catholicã.

22. Sed tamen nullum sinceræ religionis clarius indiciũ, quàm eius in sedem Apostolicam obseruantia, & in promouendis Ecclesiæ rebus; Hæreticisque Christo adiungendis ardor animi incredibilis. Summum Pontificem, vt vniuersæ Ecclesię caput, sanctissimarum religionum præsidem, Christi Vicarium, cæli foribus præfectum, secundùm orbis conditorem Deum, reuerebatur. Et, cùm iam pæne constitutis Franciæ rebus, suaderent nonnulli, vt Romam valere sineret; nunquam tamen conquieuit, donec illi Romanus Pontifex benè precaretur; quod per generosissimum principem Niuernensem primùm flagitauit: deinde per illustrissimum Cardinalem Peroniũ consequutus est. Non longo post tempore, Ministros qui Rupellam conuenerant, acceperat, notum fi-

Obseruãtia in sedem Apostolicam.

Nonum Symbolū ministrorum. dei articulum de Maximo Pontifice commentos: quem Antichristum esse dicerent; & hoc suæ religionis capitibus inserere decreuerant, cùm se profanis conatibus, Regis auctoritas interfudit, quæ calumniam non minùs iniuriæ & falsitatis damnauit, quàm stultitiæ & temeritatis. Inciderat sermo de Venetis, simulque exaggerabantur difficultates, quæ impedimēto essent, quò minùs se summi Pontificis voluntati subijcerent: *Veneti.* plerique æquiorem futurum dicebant, si nonnihil de seueritate remitteret, Non est, inquit, liberorum, patri ius dicere. si probi sunt filij, omnium parenti obtemperabunt, & id æquum ducent atque moderatum, quod ille ad Dei gloriam & hominum salutem molitur. *Clemens Octauus.* Quantùm Clementis Octaui auctoritati tribuerit, cùm de communi pace rogaretur, omnibus notum esse arbitror, cùm in multis, tùm nuper in illo dissidio, quod ei cum Serenissimo Sabaudiæ Duce intercessit. nonnulla enim de suo iure remittere proponebat, vt Sanctisimi Patris precibus satisfaceret. Eodem amplificandæ sedis Apostolicæ studio, *Ferraria* se suaque lubenter, ad recuperandam Ferrariam, obtulit, cùm vis aliqua subesse crederetur. Recens est adhuc memoria ornatisimæ legationis, quam anno M. DCVII. Romam misit, sub auspicijs potentisimi Illustrisimique Principis Niuernensis, *Princeps Niuernensis.* qui rem & feliciter gesit, & magnifico apparatu confecit, vt Paulo V. (quem Deus seruet ad sui nominis gloriam, & communem reipublicæ vtilitatem) gratularetur, eique se tanquam primigenium Ecclesiæ filium, & omnia pariter deferret.

Faciebat hæc in Maximum Pontificem obseruantia, vt sacrosanctum purpuratorum Patrum collegium coleret pro dignitate, quod re & verbis, quotiescunque tulit occasio, abūdè testatus est. Eo denique ore & pectore Romanam sedem est prosequutus, quod Regū Christianisimorū germen decebat, quos insignes Pontificiæ Maiestatis defensores omni seculorum memoria fuisse constat. atque in eo obseruantiæ genere singularem bene affecti erga religionem animi notam cupiebat eminere.

23. Latiùs hæc charitas in salutem manauit animorum:

ab eo

ab eo enim tempore, quo Catholicam amplexus est Religionem, in eo omnes eius curæ cogitationesque euigilarunt, vt fidem propagaret in dies, & hæreticos veritatis luce illustraret. In trecentis plusquàm locis neglectum Christianæ Religionis vsum, postliminio reduxit. inter quæ nonnulla erant, à quibus, vt ab ipsa Bearnia, ante annos quadraginta, res diuina & sacræ ceremoniæ exularant. Tum verò iteratis iussionibus Patres Societatis Rupellam induxit, quantumuis reclamantibus Hugonottis, qui bis iterumque P. Gaspardum Seguiranum excluserant, donec regio imperio in vrbem est admissus. Idem P. Baillio contigit in Bearnia, postquam sæpius repulsam tulisset. Et eo quidem admirabilior erat hæc insignis charitas, quò prudentiæ & mansuetudini erat coniunctior: neque enim tantùm ægrotis mederi, sed suauiter mederi studebat. miserebatur enim, non irascebatur, prauarum opinionum spinas euellebat ex animis sensim & leniter, sine offensa, siue plaga, sine vllo sensu acerbitatis. Hinc illud P. Gonterio non semel dixit: Satisfacis abundè tuis auditoribus, mi Pater, si Hæreticos excipias. sunt enim fastidioso admodum palato, & nauseanti stomacho. age cum illis, vt medicus cum ægrotis.

Zelus in sanandis hæreticis.

P. Gaspardus Seguiranus. P. Bailius

P. Gonterius.

24. Atque vt erat salutis hominum studiosissimus, ita incredibili gaudio afficiebatur, quoties aliquem audiret Catholicæ Religioni nomẽ dedisse. Omnium sibi, qui Christo aggregarentur, nomina ex singulis vrbibus mitti curabat: quod nos in ijs locis, in quibus fundata sunt Societatis collegia, præstitimus: & sub eius imperio plusquam sexaginta sex animarum millia inuenta sunt, quæ ex hæresis fluctibus ad Petri nauiculam, & portum Ecclesiæ enatarunt. In his multi fuerunt primæ nobilitatis viri, multi Ministri inter suos eruditione singulari, multi Doctores, multi Magistratus, Iurisperiti, Medici, quorum fama non modò Franciam, sed exteras quoque nationes est peruagata. ô Christianissimas victorias, & verè regias! sine tumultu, sine sanguine, sine ferro, sine ictu! ô trophæa Apostolica! quæ non modò suspicient posteri, sed diuina bonitas tanquam sibi gratissima monumenta honoribus sanciet sempiternis.

Numerus Hæreticorũ qui hæresim repudiarunt.

25. Quòd verò nostram Societatem, cuius tum primùm sensus mentemque delibauerat, huic tam pio tamque salutari negotio cum cæteris ordinibus Ecclesiasticis, aliquo fore adiumento existimaret, nos, deprecante summo Pontifice, patrijs aris focisque reddidit. Et cùm pleniora in dies amoris & fidei à nobis acciperet pignora, iamque huius ordinis institutum penitus, qua erat ingenij subtilitate, penetrâsset, eo nos amore prosequutus est, quem sciunt multi; & quia multi etiam nesciunt, aperiam hîc prout potero, vt hi quidem ignorare desinant, illi etiam pleniùs intelligant. Te verò, Regina Augustissima, teque Gallia (quę mihi, vt alumno, vita ipsa carior es) non tantùm oro, sed obsecro, permitte mehîc nonnihil ab instituto orationis cursu deflectere, & vagari paulò liberiùs, dum regium erga nos studium, & infinita beneficiorum nomina, quibus suos clientes adstrinxit, lubentiùs commemoro. Tobiam monet diuinus comes bonū esse, arcanum Regis constrictum mente & conscientia tenere: at gloriosum Dei opera, & accepta à rege beneficia promulgare. Et verò ad ipsam attinet Societatis posteritatem, vt sciat quantùm Galliæ imperio, quantùm Henrici Quarti memoriæ, quantùm eius posteris debeat. Admirabile est planè Regis in hunc ordinem studium, & eò admirabilius, quò rei effectus & caussæ perpenduntur accuratiùs: non est enim, non est humana caussa, diuina est omnino: qui enim fieri posset, vt ex odio nasceretur amor, nisi fortè ignis ex aqua, lumen ex tenebris oriatur? Sed vnde singularis amor, ex odio singulari? Iesuitas oderat princeps alioqui lenissimus, non modò cùm solo Nauarræ regno potiretur, quo tempore religionum dissensio distractionem necessariò ferebat animorum; sed etiam cùm Franciæ gubernacula suscepisset, residebat grauis simultas pectori, Ministrorum calumnijs & falsis opinionibus, impressa: nos enim quasi Reip. perniciosos & Regum omnium nomini infensos apud eum frequenter traduxerant. Quid verò mirum, si ex ijs rumoribus exarsit odium, qui si veri fuissent, erat illud æquissimum; nec recusandum, quominùs nos omnes odissent mortales, atque infra mortuos ipsos amandarent. Quamobrē

Studiū in societatē Iesu

Arcanum principis tenere & commemorare beneficia, pulchrū.

Oderat societatē nostram.

cùm

cùm furiosissimus adolescens, Ioãnes Castellus parricidio Regem tollere fuisset aggressus, neruos ceperunt inimicorum calumniæ, & exulceratis animis facilè inhæsit suspicio. Expellimur sub finem superioris sæculi, cedimus multis Galliæ locis, patimur fortunarum (quantulæcunque erant) naufragium: vtinam salua fama enatare licuisset! sed erepta est nobis hæc naufragij tabula: restabat inops & extorris vita, integra conscientia, quam nulla hominum aut temporum iniuria violauit. Sed non vltra innocentes opprimi Deus permisit: medicinam fecit nostris vulneribus, eius ipsius manu, qui eadem inflixerat damna, & iacturas geminatis præmijs resarsit: principis enim aures ad iustæ querimoniæ auditionẽ aperuit, pectus ad miserationem effodit & ad caussæ nostræ æquitatẽ tuendam inflexit: vt nos è longa iactatione recreatos suo exceperit sinu, & regio simul, & paterno amore sit complexus.

26. Multi nos apud eum famosi libelli quasi regibus inimicos detulerant. hoc est potentissimum calumniæ genus, quod communis hostis Ecclesiæ promptissimum habet in eos, quos stantes omnibus machinis nititur conuellere. Huius criminis Hebræi in aula Pharaonis, & Assueri, Dauid apud Saulem, Christus denique apud Pilatum, est insimulatus. Hoc eodem persecutionis tormento trecentorum annorum spatio ab ipsius Ecclesiæ incunabulis, vsque ad Constantinum Magnum, vsus est; cùm Christianos toto orbe tamquam Imperatorum rei & nomini perniciosissimos calumniaretur. Has tempestates suis subeundas Christus præmonebat; cùm diceret; Ad præsides & ad reges ducemini propter me. Quamobrem callidus veterator sui ingenij & malarum artium memor, Ministrorum ore Iesuitas, vt capitales regum pestes, insectabatur; cùm Deus effecit, vt is, cuius auribus ad innocentum perniciem abuti studebant, confestim oculos aperiret, & ex vitæ nostræ institutis agnosceret, nullum esse in Ecclesia ordinem qui principes & magistratus, non modò Christianos sed ipsos Ethnicos maiore obseruantia coleret, quod non modò in regno multis fidelissimorum officiorum experimentis compertum habuit, sed & nostris erga reges Barbaros obsequijs,

Calũniæ in Societatem.

Hebræi quasi regum hostes accusati.

Christus ipse.

Christiani

quijs, qui nos pæne omnes diligunt, & suis beneficijs tenent implicatos. Itaque tam propenso animo nostræ caussæ in eo patrocinium suscepit, vt illustrissima suæ felicitatis monumenta, quæ ei publico decreto fuerant erecta, in plana submitti iuberet, quòd, contra ius fasque, execrabilis parricidij nostræ innocentiæ notam inurerent. Atque in eodem vestigio, in quo pyramis steterat, suæ iustitiæ & clementiæ viuam effigiem statuit, quam omni auro & marmore nobiliorem ipsa excipiet & mirabitur æternitas.

Pyramis deiecta.

27. Alij nos alienis pinxerant coloribus: homines fastu & superbia supra quàm credi posset, elatos. quod quantùm ex veritate abesset, ex nostris institutis facilè perspexit, quæ, non modò Ecclesiasticos honores, & splendida munera fugiunt; sed fortissimis quasi votorum repagulis, omnes ambitioni aditus occludunt. Fidem rei fecerunt è nostris nonnulli, quibus familiariùs vtebatur, quos cùm dignitatibus augere studeret, non minùs fortiter repudiarunt, quàm constanter Euangelicam paupertatem quátumuis amplis sacerdotijs prætulerunt. Quòd siqui sint in Societate reditus, quibus collegia & probationis domus sustentantur, ita in communes vsus sunt distributi, vt nemini liceat aliquid in priuatam rem conuertere. Ministri Caluinistæ eius auribus sæpissimè inculcarant, quot Iesuitas in Gallia, tot Hispanos esse, vt alienati animi suspicio, nos Gallis faceret odiosos. nouit ille Iesuitas Francos, & Francos optimos, itemque patriæ amantes, nec minùs, quàm Hispanos suæ. at solos Iesuitarum accusatores, malos Gallos, malos Hispanos esse. quod aliquando primarijs inter Hæreticos viris obiecit, qui mane, cùm cubitu surgeret, visendi caussa conuenerant. quæsiuit enim ab illis, vt res se haberet de naui, quæ in Belgio deleta ferebatur. tum illi dissimulare, tergiuersari, obmutescere; ne se suo gladio in defensione iugularent. at Rex, Vestra est, inquit, factio, nauim enim me imprudente, vt olim Rupellani, instruxistis & militariter ornastis: & tamen verbis fulminatis in Hispanos, quibus in bello negotiationum fœdere estis irretiti. quid si hoc vel minimus Iesuita patrasset, nonne ordinem vniuersum dignum putaretis, qui

Superbiæ crimē obiectum.

canibus

canibus obijceretur? Ita in eo & ceteris calumnijs, cùm ferret occasio, nostram tuebatur Societatem, & exteros patres variarum nationum, qui salutandi gratia in aulam venerant humanissimè excipiebat. In ijs fuere P. Oliuarius Manareus Belga, P. Simon Aluarus, P. Nicolaus Godinus Lusitanus, P. Iohannes Aluarus eiusdem nationis, P. Ferdinandus Bastida Hispanus. Itali item nonnulli, vt P. Magius, de quo superius mentio facta est, & P. Hieronymus Barisonius.

28. Tertium calumniæ genus, Iesuitas auaros homines & opulentos varijs rumoribus deferebat, quòd fortasse domicilia sint apud nos reditibus fundata, qualia sunt collegia & probationis domus. Agnouit ipse ex eodem instituto arctissimas esse apud nos paupertatis leges, quos voti nuncupatio omnibus planè fortunis spoliaret, quod caput est internæ & Euangelicę paupertatis. quæ verò exteriora sunt, tam parca sunt, vt vix angustior res esse queat ijs, qui se totos ad hominum salutẽ contulerunt, quibus, vt ait Apostolus, victu & vestitu opus est, vt vires & vitam docendo, concionando, ceterisque muneribus societatis obeundis, exhauriant. Sed quia hæc opulentiæ fama Ministrorum artificio latiùs manabat in dies, iamque multorũ aures non sine famę iactura peruaserat, placuit Regi rem totam percontari, & omnium collegiorum, quæ nobis in Gallia essent extructa, reditus ad calculos vocari. Comperit nõ sine admiratione ea, quibus res ferebatur auctior, vix quinquaginta aureos viritim possidere, quibus suos alerent; alia vix quadraginta; nonnulla etiam infra triginta, quæ sine popularium eleemosynis vix subsistere possent, quibus tamen, si lautiores essent, non facilè fruerentur; nam aut penitus amittendæ, aut litigioso opere minutatim quærendæ erant. Quod verò ad domus professas attinet (hoc enim tertium apud nos domiciliorum genus, & reliquorum caput) omnibus prorsus reditibus carere, & ijs ipsis, qui in vsum sacrarij aut templi fabricam cõferri solent, omne dominium, omne vectigal, horrea, apothecas, ærarium in mantica esse repositum, quæ sola bonorum misericordia fulciretur, sed non semper (vt aiunt) antistheria. . . . .

Opulẽtiæ & Auaritiæ.

D Per-

Institutio Iesuitica. 29. Pergo ad reliqua. Veteris disciplinæ nitorem nostris sordibus obsolescere: obtundi adolescentum ingenia: nullos bene institutos è nostris scholis prodire. Vidit ipse fruges nostris laboribus cultas Christo auspice, feliciter enitescere: ex gymnasijs Iesuitarum emersisse iuuenes nauos & fortes, qui cùm pietatem cum mãsuetioribus Musis semel imbibissent, publicas dignitates & munera in Ecclesia, in foro, in curia, in militia, cum laude gesserunt. Vidit, inquam, magna cum animi lætitia effrenatã calumniæ amentiam miratus, quæ famam nostram ea parte appetere non reformidauit, qua minimè morsibus patére videbatur. tot verò collegia nobis erigenda curauit quot nostri suscipere potuerunt. in ijs triginta circiter adolescentum millia culturam capiunt ingenij. Vnum inter cætera *Flexia.* Flexiæ regijs opibus fundauit, in quo tum lectissima Galliæ nobilitas, tum ceteri, ijs instituuntur artibus, quibus ingenia ad summum excitantur decus. Amabat nostrorum mores, consuetudinem, animum & studium in promouenda pietate singulare. Quorum quidem omnium accurata cognitio, & ea ipsa lux quæ regibus ad salutem imperij cælitus infundi solet, tantum ingenerârat amorem, quantum vidimus & experti sumus. Affirmabat eos, qui omnibus mentis affectibus expurgati, nostram cognouissent Societatem, sine dubio nobis amicos fore. Crebris identidem vsurpabat sermonibus, ad amorem huius ordinis sufficere cognitionem. se deceptum fuisse cùm nondum cognosceret, cognoscendo errare desijsse.

Iesuitam se dicebat animo. 30. Audiui ego, cùm diceret, se, si religiosus fieri vellet, aut Iesuitam futurum ad animorum salutem propagandam, aut Carthusianum ad solitudinis amorem. Tum etiam animo se Iesuitam esse dictitabat, ita humilitatem nostram suæ amplitudinis communicatione honestare nõ aspernabatur. Quamobrem cùm ab eo discederet P. Hieronymus Barisonius, quẽ *P. Hieronymus Barisonius.* R. P. Generalis C. Aquauiua ex Italia miserat, vt cum Rege de rebus congregationis nostræ ageret, quæ tũ proxima ferebatur, anno nempe M. DC. VIII. cùm, inquam, ab eo descederet, eum humanissimus Princeps sic est allocutus, Renuntia, mi Pater, R. P. Generali me esse Iesuitam animo, sed breuiore toga: tum

gladio

gladio manum admouens, addidit; Ego illius vicarius Generalis in Gallia esse volo, in ijs omnibus, quæ ad vestram Societatem tuendam spectant; quam in fidem regiam & clientelam meam accipio, & certè, quamdiu vixero, sartam tectámque præstabo. Neque verò promissis defuit: nam re & verbis omni tempore & loco quantùm potuit tutatus est. Et, siquãdo singulorum ad eum deferrentur errores (neque enim omni culpa vacamus erroris humani) accusationum impetum modico orationis flexu eludebat, non minùs verus pater, quã prudens iudex, cùm diceret, etiam in societate Domini, quæ duodecim viris constaret, Iudam vnum extitisse. iniquum esse ob vnius culpam omnes continuò damnare; vni membro totius corporis gratia indulgendum, tantum abest vt vnius membri vitio totum corpus sit perimendum. Quid dicam amplius de regio erga hunc ordinem studio, quem tot locis temporum iniquitas vexauit, afflixit, omni acerbitate raptauit! cui talem defensorem diuina prouidentia concesserat, qui nos auctoritatis clypeo tegeret, quo duce nostra longè latéque excurreret industria, quo non modò spectatore, sed etiam munerario in hoc puluere ad Dei gloriam & Reip. salutem nostri labores gloriosè desudarent. Quid verò frustra coner dicendo assequi immortalem tanti Principis in nos amorem, aut nexus & vincula, quibus nos in suo ære tenet adstrictos?

31. Iam verò quomodo sine lacrymis hoc postremum percensere possum? Ille qui infinitis paternæ beneuolentiæ notis animum antea significauit, suum etiã cor (regium planè munus, mundi gemmam, ingentis animæ sedem) sanctissimũ amoris pignus, nostræ fidei credidit. Huc vós apello, Patres optimi, qui Lutetia sacrum depositum Flexiam extulistis. Qui sensus vestrorum animorum? qui cordis erat affectus? cum vestris manibus cor paternum efferretis, cùm sepeliretis, Cor inquam illud, quod vos omnes tam suauiter, tam profusè, tam regiè dilexerat, quod toties pro vestra omniumque salute fuerat exercitum. Quæ vestra mens, adolescentes suauissimi, huc enim pariter vos appello, quotquot sapientiæ alumni hanc regalem Academiam sanctioribus Musis consecratam, incolitis. *Cor eius Flexiam delatum.*

Dicite obſecro, quæ plaga! quod fulmen! quæ conſternatio animorum, cùm repentina de veſtri parentis morte fama miſeras aures perculit! Quid, cùm funebri pompa Flexia egreſſi eſtis, vt cor defuncti patris ſuſciperetis, qui veſtrorum carminum flores! quæ lacrymæ! qui gemitus omnium extitere! Teſtor vos iterùm, Patres fratreſque cariſſimi, non modò eos, qui Flexiæ, qui in Gallia ſacræ militiæ ſacramento eſtis illigati, ſed vos etiam qui remotiſsimas terrarum oras incolitis, tribus cæli zonis ſubiecti, qui Crucis trophea tot locis erigitis, quot ſolis ortu atque occaſu luſtrantur. Vos inquam teſtor & obteſtor per eius nomé, cui tam piè, tam fideliter ſeruitis, vt Chriſtianiſsimi Regis æternam memoriá, regium amorem, dona, beneficia, gratiſsimi pectoris medullis & viſceribus ſeruetis infixa, & quicquid amore, ſtudijs, precibus, obſequijs nauare aut præſtare poteritis, id totum Henrici Magni manibus, eiuſque poſteritati lubéter offeratis. Sed (ô Regina Chriſtianiſsima) quò meus rapitur calamus? quò volitat & vagatur, cùm præſertim de Principis corde ſcribat, quod Flexia ſeruat depoſitum. rapitur profectò, rapitur volitat & vagatur, quò ſcribentis animus & ſuſpiria concitatiſsimo curſu impellunt, nec vllam partem capit quietis, niſi cùm eſt inquietus. ſpatiatur & contendit quantùm maximè poteſt, nec vllos ſibi figit terminos Ná Rex ille auguſtiſsimus quem laudat, gloriæ curſum habet nullis limitibus circumſcriptum.

Zelus in nominandis Epiſcopis.

32. Sed tamen, quia in ſcribendo modus eſt aliquis adhibendus, tedeo ad pietatem honoratiſsimi tui, ô Regina Chriſtianiſsima, coniugis, cuius vbique ſparſa reliquit veſtigia, tum præcipuè in eo ſtudio, quo Eccleſiam ampliſsimorum Præſulum ſplendore ornare mirificè cupiebat: Epiſcopos enim & paſtores deſignabat virtute & vitæ ſanctimonia ſpectatos, quos in ſua diœceſi degere, & in continua vigilia ſtare volebat, vt in multis Galliæ locis videre eſt, atque id non ſolùm conſtantiſsimè ſeruare, ſed in dies augere ſtudebat. Neque verò hic pietatis ardor ſolis Galliæ limitibus continebatur, ſed in longinquas terrarum oras propagatus effundebat ſeſe latiùs. Id vel ex eo, quod ſuperioribus annis contigit, ſatis conſtat. Monuerat vir clariſsi-

clarissimus D. Breueus, qui Legati regij partes in Oriente sustinebat, Turcarum Imperatorem de sanctissimo Christi sepuchro demoliendo cogitare, vt in eo ipso loco quem sanctissimis religionibus consecratum omnis Christianorum frequentasset antiquitas, Sarracenę impietatis templum & monumenta cernerentur. non tulit Rex Christianissimus, sed litteris per Legatum ad Ottomanorum Principem missis, lasciuientem in sacratissimum salutis nostræ pignus Barbarorum ferociam non minùs piè quàm sapienter repressit Huius beneficij non immemores Franciscani Patres, qui loci custodiæ sunt præpositi, munificentissimis verbis gratias egerunt, & se Christianissimi Regis maiestati, & Legati industriæ, huius sanctissimi monumenti conseruationem debere professi sunt. Orauerat idem Legatus, vt Patres aliquot è nostra Societate Peram (locus est propter Constantinopolim) ad Christianos, qui illic essent, instituendos mitteret. Eodem ferè temporis vestigio quinque è nostris (Galli omnes) eliguntur; P. Franciscus Canillacius, qui missioni præest, P. Gulielmus L'Euescus, P. Carolus Gobinus, Claudius Colonius, & Stephanus Vialdus Laici coadiutores. qui superiori anno M. DC. IX. ad pedum summi Pontificis oscula admissi sunt, qui cùm IV. Non. Maij discessissent, VII. Idus Septembris appulerunt Constantinopolin, ex quo tempore sub maximi Pontificis, & Christianissimi Regis auspicijs in his siluescentis barbariæ dumetis non pœnitendos fructus collegerunt. Intercessit egregijs, vt solet, laboribus persecutionis turbo, quem non modò Schismatici, Hæretici & Iudæi, sed (quod indignius est) Christiani, & ij quidem Ecclesiastici, concitarunt. quod cùm Rex accepisset, accuratissimis litteris egit apud Turcarum Principem, ne quis religiosis Patribus pro hominum salute desudantibus molestus esset. In quo generosissimus Baro Sallignacius, per quatuor annos, quibus hanc Orientis legationem administrauit, nullum in nos officium prudentiæ, caritatis, magnanimitatis & munificentiæ prætermisit: nam sollicitè curauit apud Apostolicam sedem, & Christianissimum Regem, vt hanc Christi segetem inter saxa & solitudines primùm pubescentem, inter omnium superstitio-

Sanctum sepulchrũ per Regẽ & dominum Breueum defensum

P. Iesuitæ legantur Constantinopolim

A. M. DC. IX.

Sallignacius Baro.

num atque hæreſeωn vepres quaſi nidulum affixam irrigaret, ſuſtentaret, propagaret. In tam pium opus conſpirat D. Breueus V. C. quilicèt Romæ verſetur, omnibus tamen ſtudijs, & ſuarum virtutum fama quæ recentibus illic ſpirat impreſſa monumentis, noſtros tutatus eſt, & tutatur. Ex quo æternam, & nobis, & omnibus Chriſtianis, qui noſtrorum laboribus perfruuntur, inibit gratiam. Pari amplificandæ Religionis ſtudio, ſub finem anni voluentis M. DC. x. alteram deſtinabat miſsionem in Canadenſem regionem, quæ Franciæ reſpondet ad Occidẽtalem plagam porrecta, vt miſeram gentem, etiam tum denſiſsimis Paganorum tenebris immerſam, noua Euangelij luce recrearet, & in regno ſathanæ crucis vexillum erigeret. Glorioſum planè conſilium, quod exitum ſortietur ſuũ, cùm Regi, & tuæ Maieſtati viſum fuerit. magnam apud Deum ex nobiliſsimo facinore accepturi eſtis mercedem cuius felicitas latiùs in totã Franciam deriuabitur, quin ipſi mortui manes diuini operis conſcientia non mediocriter ſubleuabuntur. Hæc illuſtriſsimarum virtutum decora magnam Chriſtianiſsimo Regi laudem conciliant, & maieſtatem imperij proprijs augent ornamentis. Sunt verò & aliæ virtutes, quæ licèt omnibus Chriſtianis communes ſint, regia tamen perſona neſcio quo pacto honeſtabantur, eamque viciſſim honeſtant.

D. de Breues.

Canadẽſis regio.

Pietatis ſenſus.

35. Talis eſt in rebus diuinis pietas, qua plerumque animus liqueſcere, & intimo iucunditatis affectu perfundi ſolet. Fuit illa in Henrico noſtro inſignis, & nullis quidẽ fucata coloribus, ſed ingenuo candore efloreſcens, Deum mâne & veſpere ſtudioſiſſimè orabat, omni abſtinebat iureiurando, ſacram exomologeſin & ſynaxin magno cum animi ſenſu frequentabat, & in vtroque dolorem, quem ex vitæ erratis percipiebat, profuſis lacrymis ſæpius teſtabatur. morum emendationem forti animo proponebat, & in dies ijs, quas de ſeipſo referebat, victorijs fiebat illuſtrior. Viſus eſt ſæpe cùm Euchariſtiam ſumeret, aut concionem audiret, aut denique inter familiaria colloquia de rebus futuræ vitæ ſermonem miſceret, ſuauiter collacrymari. Rei diuinæ quotidie piè caſtéque intererat

erat

erat, & sancta curiositate ductus singula augustissimi sacramẽti mysteria interrogando discutiebat, semper orans de genibus nisi sacræ ceremoniæ aliud suaderet. Ferebatur D. Delphinus duobus aulicis inter sacrosancta mysteria imperasse, vt ambo genua flecterent, cùm altero tantùm niterentur; Planè, inquit, pueros habemus Christianæ pietatis magistros. Contigit semel, vt sabatho sancto Ecclesiam frequẽtare non posset, quòd eum febris lectulo affixisset: curauit per Confessarium P. Cottonum Diuini officij prophetias enarrari; quas audiuit incredibili voluptate perfusus. Verùm pietatis neruus est Diuinæ per omnia obsequi voluntati: quod vbique regia magnanimitate præstitit: idq; vel ex eo colligi potest; Cùm Maiestati tuæ partus appeteret, conijciebat Medicus forè, vt filiolus nasceretur, ita omnia signa mirificè congruebant. Tum ille; Rem, inquit, Diuinæ prouidentiæ committo: faciet quicquid ad nostram salutem expedit: ego siue marem, siue feminam sobolem dederit, lubenter accipiam. Et sanè in eo atque in multis cùm morbi, cùm valetudinis occasionibus, æquabili se animo esse ostendit, quem facilè, quocunque Diuina vergeret voluntas, inclinaret. *Genuflexio.*

34. Venio ad eam partem, quæ nihil minùs habet admirationis, quàm aut eius pietas, aut cetera animi corporisque ornamenta, quæ superiùs tractauimus, vel potiùs attigimus. Hæc regnum continet Henrici Magni, multis vbique miraculis illustre; quid enim mirabilius, quàm regem fieri ijs omnibus titulis quibus ad regna aditus patere solet? Et certè singula quæ sunt in ceteris, in eum confluxerunt vniuersa; ius sanguinis, vis armorum, incredibilis amicorum inimicorúmque, quasi in electione consensus; is denique, qui præter rerum ordinem aspirauit, cælestium fauor. Tria quidem per se ita perspicua sunt, vt nullis egeant argumentis. postremum quoque nihil relinquet dubitationis, si rerum temporumque ratio, & familiarum Franciæ habeatur. Natus est A. M. D. LIII. Quis tum, Regem Galliæ futurum dixisset, cùm Henricus Secundus, qui Henricum nostrum de sacro fonte susceperat, quatuor filiorum sobole auctus floreret? Quis natum infantẽ *Eius Regnum.* *Nascitur anno M. D. LIII. XIII. Decembris.*

re-

regno Franciæ destinatum, & Diuinæ prouidentiæ oculis iam designatum cogitasset, vt post annum trigesimum sextum, præter rerum cursum, suum auspicaretur imperium? Certè, si quis Samuël prædixisset, rem nouam & inexpectatam præsagire visus fuisset, quæ cùm contigit eò admirabilior facta, quòd supra omniū mortaliū fidem & cogitationē, supra communē rerum statum inchoata est, & perfecta diuinitus. Mirabilis planè Hebræorum ex Ægypto cum potentissima manu excessus, mirabilis promissi regni possessio propter inopinatas rationes, quibus & seruitutis iugum excusserunt, & post actam in solitudinibus vitam, post innumerabiles pugnas stragesque commissas, Palestinæ populos regesque debellarunt. Sed quid admirabilius, quàm tres Galliæ Reges immaturo funere ereptos, diadema & sceptrum Imperij Nauarrorum Principi detulisse, eo ipso tempore, quo in angustum coniectæ erant eius copiæ, & quiduis potiùs, quàm hanc rerum mutationem suspicaretur. Atque vt erat hæc Dei, non hominum electio, cælestibus prodigijs non caruit, quorum vnum ante Henrici Tertij mortem contigit: Borbonij propter Molinas tacta sunt sancti sacelli vitra, aureis in cæruleo colore intermicantibus lilijs admirabili varietate perspersa. interiecta erat trabula purpurea vt in Borboniorum insignibus pingi solet, quàm (mirum dictu) repentini ictus fulminis saluis omnibus solam discussit, ita, vt Borboniorum arma cum Gallorum Regum armis iam nullo discriminata obice coïrent; quod nimirum Principem Borbonium ad Gallici imperij clauum vocari portendebat. Ego non modò auritus, sed & oculatus testis fulminis vidi vestigia, cùm Molinis, ad collegium illic constituendum, iter facerem & Regi non sine ipsius delectatione, rem totam narraui. Significabat planè diuulsa trabula difficultates omnes, quæ Henricū regno arcerent, sublatum iri de cælo: quod multis statim patuit experimentis. Quæ vero vis cælestis aut maior vnquam aut illustrior fuit, quàm cùm in maternum Ecclesiæ sinum redijt maximus natu filius, qui antea sanctissimæ Matri erat infestus! Quod numen plenius vnquam aspirauit, quàm cùm

Vocatur ad imperium diuinitus.

tot

tot tantæque difficultates, quæ legitimum Principem imperij aditu intercludebant, tam repente, tam diuinitus sunt conuulsæ? Quis cælestium fauor serenior affulsit, quàm cùm regium caput ex tot consceleratorum hominum coniurationibus, ex tot vitæ discriminibus tam feliciter est expeditum? Quid? quod vno tempore contra hæresin bellum & infinitam malorum Iliadem, fides, otium & omnes simul beatitates confluxerunt?

35. Inter ceteras autem difficultates nulla ad inimicorũ caussam aut firmandam, aut prætexendam potentior videbatur, quàm dissensio religionum: neque enim primogenitus Ecclesiæ filius esse poterat, qui non esset filius, neque Rex Christianissimus, qui verus non esset Christianus. ex quo tantùm aberat à mortali imperio, quantùm à cælesti regno. Et cùm procrastinaretur, donec Catholico ritu excoleretur, & pleniorem afflatum hauriret cælitus, inualescebat hominum suspicio, quæ tergiuersari eum diceret, vt nunquam ab ea religione quam ab infantia cum lacte imbiberat, discederet. hoc vno fundamento tria innitebantur hominum genera. Alij enim iusto quodam mouebantur metu, ne, cùm euectus esset ad imperium, auctoritate atque potẽtia armatus Religionis Catholicæ statum in Gallia penitus conuelleret. Alij Diuino amore instincti, omnibus neruis suam tenebantur religionem, & imminentibus præter modum periculis occurrebãt. Intermiscebant se superioribus tertij quidam homines religiosi (vt videbatur.) quos tamẽ priuatæ rationes fortasse plus quàm Religio moueret, & cælesti velo amicti terrã quærerent. Sed afflictis Galliæ rebus pro sua prouidentia consuluit princeps mundi Deus, & admirabili quadam iustitiæ simul & misericordiæ tẽperie; vniuersis fecit medicinam. Atq; vt primis faceret satis, Regi vt Catholicam fidem amplexaretur, mentem & voluntatẽ injecit. Itaq; omnes suspiciosi metus, quę antea inoleuerant, labes discussit. Secundis indulsit pleniùs, cùm Regẽ non modò Catholicum, sed Catholicæ Religionis studiosissimum effecit. Et quia hic ordo flagrãti incitatus studio, quo fidem simul & patriam prosequebatur, in vtroque tuendo laborauerat con-

Difficultates quæ regni aditum occludebant.

tentius; & patrijs sedibus extorris pondus diei & æstum tolerauerat, placuit Diuinæ prouidentiæ non obscuris lenimentis eius permulcere cruciatum, cùm cor Regis, non tantùm viui sed & mortui, in amoris pignus singulare concessit, & eum qui antea fuerat infensior, nobis patronum, defensorem, patrem denique reddidit. Res est planè quam nulla ratio humana miraculo eximere queat, etiam apud eos qui miraculis iam nullum locum reliquerunt. Restabat tertium genus hominum quibus cælestis prouidentia Regem dedit eum, in quem sua arma conuerterant; sed clementissimum Regem, qui victos maluit spectatores habere suorum triumphorum, quàm captiuos iure bellorum, & victimas ultioni cædique destinatas.

Regni progressus 36. Neque verò progressus imperij minùs admirationis habuere quàm antea ipsum habuit initium. Cõsequuta est pax honesta cum exteris; Duæ potentissimæ vrbes, & aduersus omnem vim, & loci ingenio & præsidijs circumuallatæ, Caletum dico & Ambianum, deditionem fecerunt; Omnia opida, in quibus Catholici imperabant, in Regis manu posita: restant, quæ ab Hæreticis tenentur, potestati regiæ mancipanda, cùm illi Gallici ingenij generositati, & legi Diuinæ obtẽperauerint, quæ Regibus vult honorem haberi, & in eorum regno noua moliri regna nos vetat. *Coniugiũ.* Admirabile quoque fuit tuũ, ô Regina, cum nostro Rege coniugium, cùm incredibili felicitate, Gallicus Imperatoriusque sanguis vna coierunt. Si enim, benè moratam coniugem inuenire, instar est magnæ opulentiæ, dici non potest, quibus quantisque opibus cumulatus fuerit noster Henricus, cùm te regiarum virtutum dote, auro & gemmis preciosiori, locupletissimam duxit vxorem, quarum tantus erat splendor, vt tibi maritum, Regum omniũ facilè principem demererentur. Quid? quod primum matrimonij annum Delphini felicissimus natalis nobilitauit? *Natalis Delphini.* quem optatissima serie duo fratres & tres nobilissimæ sorores exceperunt, fructus genialis lectuli planè aurei, in quibus, Deo fauente, semen latet æternæ posteritatis. *Fœdus cũ Principe Sabaudiæ.* Quid cum serenissimo Duce Sabaudiæ percussum fœdus? quid in exteras nationes missæ

missæ legationes? inter quas, vt superiùs attigi, honorificentissima fuit illa, qua generosissimus Princeps Niuernensis apud Paulum V. perfunctus est, ijs etiam admirabilis visa, qui nihil mediocre admirari solent. Sunt ista non solùm mira, sed prodigijs pæne similia, cælestis monumenta felicitatis. Iam verò quomodo seuerissimo edicto constricti sunt gladiatores Monomachi! quomodo æternæ ignominiæ nota, quam honoris loco cæca hominum ambitio statuebat, penitus sublata, simulque innumerabiles tragœdiæ, quas hæc gladiorum licentia concitabat, sunt restrictæ! Quid in agris & vrbibus, in quibus antea castrensis mucro impunè volitabat, summam tranquillitatem, & bonorum omnium abundantiam commemorem? Infinita sanè spes erat, quæ portenderet fore omnia in dies Catholicæ Religioni & Reipub. meliora. incredibile erat optimi Principis desiderium. Nam omnia quæ quinquaginta fere annorum spatio bellis ciuilibus afflicta, multa (vt ferebat lex necessitatis) & præsidia amiserant stabilitatis suę & ornamenta dignitatis, optimis legibus vincire & pristino splendori restituere mirum in modum studebat. Taceo regia ædificia, & magnificas operum moles, quas partim Lutetiæ, partim ad Bellaqueum fontem, partim ad Sancti Germani exstruxit. Satius est ista silentio obuoluere quàm cursim ostentare, cùm præsertim alia sint præstantiora: sed tamen sagacissimum eius ingenium & insignem regni ornatum non obscurè demonstrant.

Princeps Niuernensis.

Aedificia Regia.

37. At (ô Regina Christianissima) quid consolationis tibi, & vniuersæ Galliæ futurũ putem, dum singula tui coniugis ornamenta percurro, virtutes puta & susceptum Catholicæ religionis institutum, & regnum, & ingenij dotes atque diuitias partim naturales, partim etiam supra naturam concessas diuinitùs, quarum nonnullas dixi, multas tacui, neque enim omnia percensere possum, & vni epistolæ committere quæ pluribus consignanda sunt libris: nisi forte ingeniosissimum illum artificem imitarer, qui totam Homeri Iliadem in vnius nucis cortice exarauit, sed quod inquam solatium ex luctu tuus percipiet animus, cùm funestam illius iacturam cogitabit,

in quem tot illustrium virtutum notæ, tot lumina, tot decora, tot cæli spes opesque vno veluti consensu confluxerant, nunc autem cum eo sepultæ iacent vniuersæ?

Eliciet tamen hæc narratio (quanquam miserum est consolationis genus) suauem tui sacratissimi coniugis recordationem. obijciet oculis viuam & spirantem factorum imaginem quæ à me quoquomodo sunt huius orationis expressa coloribus. Tu illam intuebere, tu sępius ad eius aspectum ingemisces, & luctu atque gemitu tuos solabere cruciatus. quod amantissimis coniugibus contingere solet, quæ dum maritorum effigies mortuorum contemplantur fletu & suspirijs suos satiant dolores. Vel eos etiam imitabere qui cùm in theatris præclara illustrissimorum virorum facinora, deinde mortes etiam audiũt & funera, collacrymantur suauiter, & quò flent vberiùs, eò magis intimis afficiuntur sensibus atque ex fletu suas hauriunt voluptates. Videbis in hac tabula viuum Regem quem requiris, viua enim eius est & immortalis imago, diuinis animata coloribus, quæ cũ mortui cadauere sepeliri & corrumpi nullo modo potest, atque ea longè illustrior est quæ quadraginta dierum spatio, in aula regia, in lectulo funebri collocata, deinde curru bellico, in regali exequiarum pompa delata est. hæc animi, nõ corporis speciem exhibet, hæc vitam restituit mortuo. hæc iacturam resarsit præsentiæ hæc in medijs ærumnis solatiũ præbet non contemnendum Quòd si acerbissimi casus in hac tua orbitate memoria, tibi & Franciæ atque vniuersæ Europæ gemitus exprimit miserabiles, nimirum eius quem lugemus immortalitas, nomen & egregia facinora commemorata solatiũ afferre tibi, Franciæ Europæq; debẽt. Calẽdis Iulij in D. Dionysij templo quod Regum nostrorum sepulcris est destinatũ, paludatus præco post glebam mortuo iniectã, ter lamentabili voce proclamauit, REX VIXIT. PRO EIVS ANIMA ORATE. Non dubito quin circumstantium omnium pectora effoderit; vt si contentiori sono omnium Gallorum aures perculisset, poterit inueteratum vulnus ad necem vsq: refricare: quod duobus ex Caroli Octaui prætoria cohorte viris mœrore mortui accidisse fertur, qui cũ magisterij virga frangeretur, repentino dolore

Ceremoniæ in regum exequijs.

dolore exanimati sunt. Sed funestam vocem leniuit illa, quam eodem temporis vestigio idem præco ter, vt antea fecerat, emisit, VIVAT REX LVDOVICVS DECIMVSTERTIVS. Viuat sanè. viuat cælo & terris carissimus. Vtinam illi longa annorum serie secula decurrant, sed audiat inter communis lętitiæ voces lubenter acclamari, VIVAT REX HENRICVS QVARTVS, Rex factis & regijs virtutibus immortalis, qui intimum suorum amorem, hostium etiam conciliauit admirationem, qui longa sobolis posteritate, qui omnium sæculorum memoria vigebit.

38. Habes, Regina Christianissima, tria consolationis capita à nobis iam explicata. Sequitur totius Tragœdiæ catastrophe. Mors Augustissimi Regis, de qua mihi, quod antea sũ pollicitus, vt de ceteris dicendum est: siquidem & admiratione non caret. Sed vnde mihi exordium? vnde etiam epilogus? Obuersatur ante oculos in ipso orationis limine crudelissimæ mortis horribilis effigies, quæ minimè Christianissimum Regem decebat. video principem optimum ferali parricidio perfidiosissimè sublatum, animam præter fatum cum sanguine exhalantem, quæ dum conor scribere, nescio quo pacto funestissimorum prodigiorum agmen volitat ante oculos, & mẽtem timore confundit. Proh! fidem numinum! Rex Christianiss. mansuetiss. sapientiss. à teterrima furia victimario cultro traijcitur Lutetiæ, in vrbe regia, in luce imperij, in arce terrarũ, in medio triumphorum. Percutitur antequam subueniri possit, suffocatur antequam vocem emittat, & vita regij sanguinis vndis demersa priùs opprimitur quàm vxorem, liberos, amicos, populum denique sibi carissimum supremo impertiatur alloquio. Morare perfidiosissime furcifer, quid egisti? aut quid acturus es? Tũne ferrum diriges in Christum Domini? tu cor illius feries, qui omnium non modò Christianorum, sed Ethnicorum, sed extremæ Barbariæ cor animumque suis sibi virtutibus deuinxit? Quid paras, dementissime nebulo? non vnius regis, sed vniuersæ Europæ cor eadem sica trãsuerberabis. Exuisti animum hominis, feram induisti. Vrsus es aut crudelis Rhinoceros? Cur enim solus cum odisses quem omnes amant

Mors Regn.

Reges Christi Domini.

& venerantur? Cur ei vitam adimeres, cuius omnes vita sancire vellent immortalitatem? Nunc verò ex inferorum faucibus erupit consceleratissimus Dæmon ex eorum numero qui infesta rabie instincti strident dentibus, & in cælum profani oris eructant maledicta? Is est, credo, qui Poltrotium municipem tuum impulit, vt in Franciscum Guisium generosissimum, eundemque bellicosissimum principem, Catholicæ religionis columen, mortiferas glandes sclopi displosione emitteret, quẽ tamen parricidio sublatum, erga numen pietas, erga principem fides, erga communem patriam amor singularis, immortalitati consecrauit. Is ipse est qui superioribus annis in Gallia Narbonensi energumenæ mulieris ore quod obsederat, insolétiùs prędicabat, se pestiferum hæreticæ peruersitatis semen sparsisse per Fráciam, se cum religione Catholica, mentem bonam pudoremque contriuisse, vastitate, cędibus, incendijs passim operatum. Is nimirum tuum nunc corpus animat, rapit, agitat. Nónne etiam te furialis caterua totum circumsedit? in pectus irrepsit, inflammauit animum, pulmones distẽdit, & lethale brachiũ armauit quod in latus regiũ vibrares? Sed tamẽ audebis patrare quod moliris? Tantũ regem cõtrucidare, regem Galliæ, regũ regem etiam in amicorũ complexu cõtrucidare! luce & palàm in omnium conspectu, in sella curuli! Heu me miserũ! Video currum constitisse. O currus infelix, quid constitisti, & hac via, hoc vestigio, hoc loco tam præcipiti, tam periculoso? Nescis te pretiosissimum pondus gestare, Henricum Magnum Genium Galliæ, Patrem Francorum, decus regum, mundi miraculum: Ne quæso, ne longiorem moram trahe, in ea prẹsertim sede in qua latet impurus latro, & horribilis facies calamitatis. Progredere auriga, miser cessator auriga progredere, insta voce & flagello! Et vos equi generosissimi, currum trahite, voluite; rapite clementissimum dominum dum potestis ex mortis faucibus expedite! fugite, currite, ne per desidiam vestrã liceat huic portẽto teterrimum virus afflare! En vt spectat principem perfidus insidiator, vt designat oculis ad cædem, vt subodoratur ferox bellua. iam insultabit, iam rapiet spiritum, iam sparget sanguinem quo Regis vitã & misertimam simul Franciam

Fráciscus Guisius.

Dæmon author hæreseon Lutheri & Caluini.

ciam

ciam obruat. O moram! O segnitiem! Actum est, irruit, percussit, interfecit! O Princeps Augustissime, ideóne tam feliciter vixeras, vt post annum vitæ tuæ LVII. tam miserabiliter occumberes! Ideóne tot prodigijs ad regiam euectus fueras dignitatem; ideo ex infinitis ereptus periculis, ideo ex tot conflictibus incolumis euaseras, vt te his funeribus reseruares? Te ternæ consertis agminibus signisque collatis celebres pugnæ, te trecentæ locorum obsidiones, te quinque & triginta armorum prosperæ concursiones, te quatuor supra centum prœlia, te glandium missiliumque globulorum concitatæ grandines, te districti mucrones, te omnia tormenta bellorum, te hostium fossæ, aggeres, insidiæ, toties saluum, toties victorem dimiserant, vt spurcissimus tenebrio furiali sica confoderet, vt inter principes, inter regium satellicium animam exhalares, vt de vitæ statione, tam prodigiosa, tam repentina, tam insperata morte discederes, ea inquam morte quæ Christianis omnibus horribilis est, quam communis mater Ecclesia quotidianis precibus deprecari solet dum constanter orat; *A subitanea & improuisa morte libera nos Domine!* *Vixit annos 57.*

39. Hîc ego (Regina Christianissima) toto corpore contremisco, hîc in medijs lacrymis exarescit calamus, aptior credo ad chartam ferali atramento funestandam, quàm ad exarandas cōsolationis notas. Hæc enim noua mortis species terret oculos, qua nihil horribilius video; Nam si miserum mortalem deprehendat grauioris sceleris nexibus irretitum, latiùs serpit in infinitum malum. Quis verò tantam pestem oculis non refugiat? non respuat auribus? animo non aspernetur, quam ne vastus quidem lacrymarum oceanus possit eluere? vbi tum consolationi locus: vbi doloris lenimenta, cùm de salutis æternæ præsidijs est desperatum? Fortis erat Dauid si quisquam alius, sed tamen cùm Absalonem filium accepisset lethali conscientiæ vulnere labefactatum discessisse ex hac vita, miserrimi adolescentis fatum reuoluit animo, etiam tum pubescentes infelicis victoriæ laureas decutit, lamentatur, ingemiscit, lessum canit omnino miserabilem. *Absalon fili mi, fili mi Absalon! Quis mihi tribuat vt ego moriar pro te, Absalon fili mi, fili* *Reg. l. 2. c. 18. Absalon.*

li mi Absalon! Ita clementissimus pater omnium iniuriarum oblitus, vel sui cruoris pretio carissimam sobolem liberasset quam furiali parricidio voluntas armata deuoluerat in inferorum fauces. Scio equidem (Regina Augustissima) tibi ceterisque amantissimis ciuibus de Christianissimi Regis salute spes animis insidêre, quæ sint omnium optimæ: neque enim credibile est hũc extremum velut actum à Deo fuisse neglectum, in illo principe cuius antea vita tot ornamentis effulserat, quot cælum stellis! Sed tamen vt tuta quæque solent amantes pertimescere, ita sunt suspicacis ingenij. te, quod sæpius facis, cogitantem nonnihil commouet mortis genus, qui quidem sensus tibi cum multis communis est, quorum mihi querelas audire videor his verbis expressas; Esto, Moriendum fuit homini, quis negat? sed moriendum feliciùs. Habet has nascendi & moriendi vices humana cõditio. Detur hoc humanitati, Mortem omnibus natura proposuit, fatemur: sed crudelitatem mortis felicitas propulsare solet. Poterat mori suo fato, poterat in lectulo, poterat affecta iam ætate componi placidiùs. saltem si cælestibus præsidijs fuisset armatus, si Ecclesiæ munitus sacramentis, si morientes oculos Regina coniux clausisset, si dulces liberorum animulæ excepissent spiritum, tolerabiliora forent omnia. sed mortis genus ipsa morte acerbius est, & nos mœrore pariter opprimit & metu. Hæ sunt bonorum omniũ querimoniæ, & verẽdum fortasse, ne detrectandi caussam, partim imperitis, partim etiam malè affectis hominibus eadem ratio dederit, qui hoc fatum flagitij pœnam sunt interpretati. Quorum in diuini iudicij disquisitione temeritatem, si vis rationis semel compresserit, teque & omnes bonos ad mentis æquitatem reuocârit, suauissimum consolationis nepenthes in hac luctus acerbitate videbor propinasse.

Querela Ciuium in morte Regis.

40. Hoc igitur in primis ratum habeatur, dum permisit Deus, par est nos eius morem gerere voluntati, quæ recta est & sapiens, quæ ex hoc etiam casu vtilitatem aliquam elicere, & defuncti manes clementer accipere potest. Non est Deus, non est auctor sceleris, non est percussoris impulsor, vt detestabilis vox Caluini asserit, immo maleficium tanquam suis legibus con-

contrarium detestatur, & cædem omnem prohibet, tum præsertim quę illis infertur à quibus huius lucis vsuram accepimus, aut quæ in communes Reipub. parentes, quales sunt reges, quos summa obseruantia coli diuina & humana iura voluerunt, perpetratur. Hoc est enim facinus exsecrabile atque omni parricidio atrocius, quo Regia Maiestas, quo Diuinum numen, quo sanctissimæ religiones inexpiabili violantur audacia. Poterat Deus absoluta & vniuersali potestate tantam pestem auertere, sicut & omnia quæ quotidie admittuntur scelera: poterat principem quem ex tot capitis discriminibus antea eripuerat, conseruare: poterat fanatici lycanthropi vincire manus, nec dubium est, quin cælesti afflatu sæpe retardârit, quin impeditam scelere conscientiam perstrinxerit, quin eam quam ordiebatur telam plerumq; resciderit, cùm ipse antea Parisijs Regi insidiaretur. Sed cùm tamquam alterum Iudam in suscepto semel consilio peruicacem cerneret, permisit quod antea Iudę, vt libertate voluntatis vteretur & abuteretur, vt mortem alteri inferendo scelestus ille funestæ mortis laqueos indueret. Nunc verò hoc ad Diuinam sapientiam attinet, vt quod semel admissum est malum, in maius bonum cedat: hoc enim sæpissimè præstare solet, neque tot labes vnquam malorum videremus, nisi ad gloriam & vtilitatem beatorum fieri permitteret Deus. Poterat Iudæos impedire quominùs Christo violentas manus inferrent: & certè quantum Diuina lex ferebat salua arbitrij voluntate eos & monitis & minis non semel auocauit, sed tandē permisit vt cōceptum animo scelus erumperet in lucem, vt se innocentis sanguine contaminarent, & eo parricidio illigarentur quo solo omnia crimina complexa esse videntur. Quid enim aliud erat quàm rerum omnium parentem & conditorem Deum contrucidare? permisit tamen, eo consilio, vt in humanam salutem conuerteret. Hæc erit igitur magna & salutaris in rebus aduersis consolatio, si quicquid acciderit, Dei permissu accidisse, & quicquid permiserit, hoc ad vtilitatem nostram diuinitus concessum consideremus. Si modò æquiore simus animo, & inter ventos & procellas, inter insana con-

citatis fluctibus maria, liberij arbitrij clauum tenere, & ratione in puppi considente feliciter nauigare velimus.

Mors repentina non est damnationis argumentũ. Iobi amici iniqui iudices.

41. Alterum est ex his funestis atque insperatis mortibus non esse continuò capiendum infelicis exitij argumentum. Neque enim calamitates quæ accidunt humanitus, sunt semper sceleris aut flagitij notæ, quod Iobi amici imprudenter suspicabantur. Neque tranquilla mors salutis certissimum indicium, neque res secundæ perpetuæ comites sunt probitatis. Multi miserabiliter óccidunt, quos beatitudo cælestis excipit: multi honestè moriuntur qui inferorum flammis sunt addicti.

Lazarus

Lazarus quidem humi cubans atque omni destitutus præsidio, fame, penuria, vlceribus & reliquo corporis cruciatu diu colluctantem spiritum exhalauit, & soluta corporis compagibus anima, in Abrahami sinum in quo beati omnes conquiescũt, delata est. At diues helluo decumbebat in molli lectulo, purpura & attalicis vestibus constrato, magnis copijs affluẽs, magna medicorũ, magna amicorũ atque seruorũ stipatus frequẽtia cum impuram animam in imas inferorum voragines præcipitandam euomuit. Quammultos fuisse illis temporibus qui hunc in morte felicem, illum miserum existimarent, quammultos deceptos arbitramur?

Epulo.

Miphiboseth. 2. Reg. 4. 11.

Miphiboseth Saulis regis filius à domesticis latronibus cùm meridiaret in lecto, est interfectus. Dauid innocentem declarauit, & percussores qui se magnam delato mortui capite gratiam inituros sperabant, extremo affecit supplicio.

Fulco Rob. Abb. in Chron. Iozias 2. Par. 35.

Fulco Rex Hierosolymorũ cùm leporem venaretur, equo lapsus est, eiusque pedibus conculcatus, egit animam. Iozias omnium regum Iudæ (Dauidem semper excipio) pietate, sanctimonia, liberalitate, & ceteris virtutibus facilè princeps cùm diuino amore instinctus, Nechao Ægyptiorũ regi cum exercitu occurrisset, vt latronem alienos agros infesta manu diripientem comprimeret, inopinato sagittæ ictu vulneratus in castris mortuus est. Quæ quidem mors tam funesta bonos omnes, tum præsertim Ieremiam contristauit, luctúque & lacrymis confecit. Quis verò existimasset tantum regem tàm lamentabili facto periturum? D. Ludouicus annũ agens quin-

D. Ludouicus.

qua-

quagesimum septimum (ea ætate erat noster Henricus) in ora Africę, in medio exercitu, quem pestis populabatur, extinctus est, Generosam expeditionem vir sanctus Dei caussa suscepe- rat, & in Dei causa spiritum effudit, non sine multorum querela, qui aut raptum citius, aut miserabili morbo confectum, aut in media Barbaria mortuum deplorarent. Egillus Rex Gothorum, princeps optimus, à furiali tauro, quem facinorosi, & licentia deprauati populares, qui legum seueritatem ferre non poterant, emiserunt, crudeliter necatus est. Malcomus primus Rex Scottorum postquam multa & præclara in toga atque otio iustitiæ specimina edidisset, noctu cùm regnum lustraret, suffocatus. Quod si parua cum magnis liceat componere. Anno M. D. LXXIV. Coloniæ domesticus quispiam qui de mentis exierat potestate, tãta celeritate vibrauit sicam, vt vno temporis momento tria collegij nostri capita conficeret, P. Rectorem virum integerrimum, P. Leonardum Ressellium non minùs vitæ probitate quàm Theologiæ scientia clarum, Tertium denique morum sanctimonia non vulgari. Hic verò Romæ P. Ioannes Maldonatus, cuius virtutem & eruditionem non potest Gallia non recordari, cùm leniusculè, vt ipse arbitrabatur, ægrotans decubuisset in lectulo, à nosocomo, qui hominem ad paratam excitabat cœnulam, inuentus est mortuus. Leodij administer Ecclesiæ, vir innocens, cùm oraret in Ecclesia, fulmine ictus expirauit.

Gaguin. & Ionuill. in eius vita.

Ioan. Magnus l. 8. c. 13.

Hector Boet. l. 11

Rector collegij Coloniensis.

Ioan. Maldonatus.

Sacerdos quidam.

42. Repentinæ planè mortes, & vt videri solet miserandæ, quarum tamen improuisus turbo conscientiam scelere constrictam, & destinatum inferorum supplicium minimè arguit. Dicam pleniùs si hæc mortis plaga in sceleris alicuius pœnam fuisset inusta diuinitus, quod plerumque accidit, non tamen eos continuò, qui tam tristi subiacerent fato, in æternæ mortis laqueos compingeret. Aeterna momentaneis aliquãdo supplicijs commutat Deus, & quasi mitissimus parens castigat liberos, quos ab interitu cupit ereptos. OZA vir in Dauidis satellitio non ignobilis, nutantem arcam, cùm Hierosoly mam triumphali curru veheretur, obiectis manibus fulcire tentabat, cùm repente tactus est de cęlo. In prophetam virum

Oza.

F 2 Dei

Dei (ſic enim communi prophetarum ore vocabantur) cùm cibum iniuſſu Dei ſumpſiſſet, eductum è ſylua leonem Domini manus armauit, à quo eſt interfectus. Ananiam & Saphiram, Chriſto primùm initiatos, repentina vox Petri quaſi fulmen in delicti expiationem perculit. Quorum animos æternis ſupplicijs hac pœna ſubductos bona pars Theologorum ſentit. Neq; enim credibile eſt Oziam, quòd ſacra profanis manibus, non mentis aliqua prauitate, ſed ipſo pietatis ardore attigiſſet, horribili geminatæ mortis ictu fuiſſe traiectum à Deo. Quòd verò prophetam non deſtinaſſet inferis, vel ex eo apparet quòd eius aſellum viuum & incolumem, & ſuffocatum cadauer idem qui confecerat leo cuſtodit, donec efferatur in ſepulturam. Vterque leniori ſupplicio ſempiternos cruciatus expiauit. Quid igitur ſi emiſſus è ſolitudinibus leo Regem noſtrum non ſecus ac illum Prophetam interemiſſet; ſi ceruus inter venandum ramoſo cornu impetitum traieciſſet, quod Imperatori Baſilio contigiſſe memorant; ſi eductus ex latebris vrſus Lutetiam inuolaſſet, & eo ipſo loco lac[er]aſſet, quo à crudeliori fera eſt trucidatus, (tales Eliſei vrſos ferunt qui duos ſupra quadraginta pueros, quòd procacibus dicterijs inceſſerent ſenem, abſumpſerunt) clariùs quidem fuiſſet diuinæ vltionis indicium, minimè tamen ſalutis ratio deſperata. Solet enim hoc fatum probis cum improbis eſſe commune, neque infelicem animæ arguit ſtatum, niſi fortè quempiam in ipſo flagrantis ſceleris concurſu Diuinæ vindictæ feriat telum. Tunc enim nulla ſalutis ſpes relinquitur vbi conſcientiæ facibus obſeſſus ex huius corporis ergaſtulo diſcedit animus. Talis fuit Dathani & Abironis exitus, quos in Moyſem perduelli animo obfirmatos hiatu diſcedens terra miſerabiliter abſorpſit: Talis mors Abſalonis quem maieſtatis pertinacem reum feralis haſta confixit: Tale quinquaginta ſatellitum fatum, quos Heliæ indigniſſimam necem molientes, cælum flammarum globis armatum deuorauit: Tale fuit Hebrei hominis exitium, quem cum Madianita meretrice vindex traiecit gladius, & lectulum genialem miſcuit cum funebri: Idem ipſe mortis laqueus gladiatores monamachos

Ananias & Saphira.

Baſilius Imperator a ceruo occiſus.

Vrſi occidunt 42. pueros in Prophetã procaces.

Dathan Aburon nũ. 12. 3.

Abſalon.

Quinquagenarius.

Monomachi.

chos irretit, qui priusquam resipiscere liceat, lethali vulnere opprimuntur in campo. Eum enim retinent animum cum quo descenderunt in arenam, cruoris ardentem siti & vltricibus furijs in Diuinam legem armatum, quem cùm pœnitentia nondum exuerint, ex huius vitæ statione discedunt sontes animę, tristes inferorũ victimę, quarũ mors ne cruento quidẽ lacrymarum imbre posset expiari. At verò vbi indifferens est actio vt quies & ambulatio, restat aliqua spes salutis, etiamsi mors, quod superioribus patuit exẽplis, diuinitus esset illata.

43. Tum Deus qui repentina cęde oppressis benignè subvenire solet, his eodem temporis vestigio sui cognitionem & contractum ex peccatis dolorem impertitur, vt in ipso silentio veniam sæpe flagitent & consequantur. Magna igitur spes me tenet, clementissimũ patrem qui Regem tam nefaria cæde violari permisit, eidem ipsi in extremo vitæ curriculo ea dedisse salutis subsidia, quæ à sacrosanctis Ecclesiæ mysterijs potuisset exspectare. Seruauit hunc animum in quem tot ornamenta congesserat, & in beatorum domicilio collocauit. Et quia præsentissimum est istud consolationis Alexipharmacũ, quod Tibi & Galliæ in his miseriarum incendijs adhiberi potest; nitar ego vt potero ea signa colligere, quæ hanc assertionem probabilem reddant. Addam quoque non obscura, quæ in Rege eluxerunt æternæ felicitatis indicia, nonnullas item subijciam rationes propter quas Deus atrocissimum facinus patrari permiserit.

44. Primum mihi indicium erit singularis eius clementia, quæ vt beatorum propria virtus est, ita crudelitas insignis est nota futuræ damnationis. Quòd si Diuina bonitas hac ipsa mansuetudine tantopere delectatur, si eius insignia heroïbus illis Moysi, Dauidi, & ceteris impressit, si peculiarem illi mercedem esse voluit; si Christus ipsammet clementiam ita commendatam habuit vt inter octo beatitudines numeraret; si denique principi nostro huius virtutis ornamenta plena (quod aiunt) induslit manu, vt non tantùm mansuetus, sed omnibus vexillum sustulerit benignitatis, an credibile esset clementem Regis animum in eo discrimine à Deo fuisse destitutum, quo

Primum indicium à clementia.

Moyses clemẽtiss. Nu. 11. 13

Dauid Psal. 121. 1.

Beati mites Matth. 5.

promptior miſericordia eſſe debuerat? Secundum mihi ſignum, diuina quæ in eo extiterunt prodigia, prępferunt: Cur enim à pueritia illum conſeruauit Deus? Cur imperio pręfecit? & quod maius eſt, cur ex erroris caligine ad cæleſtis auram luminis euocauit? num vt perderet? num vt ſupremo vitæ diſcrimine deſertum pateretur? num vt eius naufragium lentus in portu ſpectaret? non eſt credibile. Tertium eſt ex egregijs operibus quę ad Eccleſiæ propagationem patrauit diuinitus, cùm aut Hæreticos reduxit ad fidem; aut religionis Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ cultum in ſexcentis pæne locis ſepultum, excitauit: munera planè cæleſtia, quibus ſua præmia debebantur de cælo. Eſt enim Deus non modò in diſtribuendis, ſed etiam in coronandis cæleſtibus donis vbique liberalis. Talenta largitur ſuis vt negotientur, fortunatam deinde negotiationem geminatis remuneratur commodis. Quî igitur fieri poſſet, vt cæli arbiter, omnium quibus ante meruerat pietatis officiorum oblitus, Regem in Eccleſiam beneficum calamitati ſempiternæ deuoueret?

Secundū à cæleſtibus vitæ miraculis

Tertium ab egregijs facinoribus.

45. Quartum eſt à precibus, quæ dum viueret primùm in Gallia, cùm à Catholicis omnibus, tum eccleſiaſticis & religioſis ordinibus, cum ieiunijs, vigilijs, corporis afflictationibus, & cetero Chriſtianæ pietatis inſtrumento, fuſæ ſunt. In quas pari ſtudio conſpirarunt exteri qui ſe Chriſtianiſſimę Maieſtati addixerant. Hæc verò ſocietas quot orbis terrarum locis ſparſa eſt, in Italia, in Germania, in Polonia, in ceteris Septentrionalibus plagis, in extremis Europæ finibus, tum Conſtantinopoli, tum alibi vbicunque noui & veteres mundi patent, ſexcenta ſacrificiorum millia cum infinitis orationibus religioſiſque laboribus pro defuncto obtulit. Iapones, Sinæ, Indi Orientales, Malaca, Goa, Inſulæ Philippinæ, Indi Occidentales, Braſilia, Mexicum, Peruum, & vicinæ Inſulæ pro Rege orarunt, & Henrici Quarti Galliæ & Nauarræ Regis Societatis Ieſu patroni & fundatoris bene meriti, nomē audiuere. Omnes ſublatis in cælum manibus diuinam clementiam pro eodem flagitarunt: Atque ijs quidem titulis ſinguli ſacerdotes nouem ſacra piacularia, ceteri fratres eadem menſura ſuppli-

Quartū à ſupplicatione.

pli-

plicationes pro Christianiss. Rege huius ordinis parente dedicarũt. Præterea scio permultos Romæ & alijs in locis pro eius incolumitate statas preces & vota cõcepisse quæ singulis hebdomadis persoluerent. Vnus multorum instar erit P. Benedictus Pererius Hispanus, quem ex scriptis vniuersus orbis Christianus agnouit: Hic nullam præterfluere hebdomadam siuebat, qua non pro Christianissimo Rege rem diuinam faceret; Ceteri nunquam sine eiusdem mentione pro altari operabantur. Vltimo loco preces beatorum numero, quas omnium optimas, easdemque maximæ apud Deum auctoritatis esse constat. P. Benedictus Pererius

46. Quis verò non credat inter tot supplices quos Gallia, quos exteræ nationes, quos cælum terráque suggessit, quamplurimos fuisse quibus aures potentissimi regis benignæ patuerunt, cuius mos est bonorũ votis per omnia obsecundare? Quis nõ putet eos misericordiam Dei, ei præsertim cõciliasse, qui clemens in omnes, in Ecclesiam beneficus, & tot cælestibus donis antea fuerat cumulatus? Quis dubitet eos impetrasse felicem mortalis vitæ periodon, & in sauciato pectore sauciatum dolore animum in hoc præcipuè mortis momento vt corporis compagibus liber spiritus è terris ad cælum, è morte ad vitam, è regno Galliæ in regnum Dei commigraret? Credibile esset Dei, clementissimi patris omnium precibus aures occlusas fuisse? Credibile, inquam, irritas fuisse sanctorum orationes qui priuatim & publicè in adyto militantis & triumphantis Ecclesiæ, eò ardentiùs orarunt quò clariùs huius mortalis vitæ difficultates intuebantur? Non credo, non suspicor: aliud ratio, aliud Christiana suadet pietas. Ego cum tuæ Maiestatis & totius Galliæ venia de sensu meo loquar: non puto quin Beatus P. Ignatius Loyola municipem suum iuuerit, vt Nauarrus; & eò promptiùs quòd hanc societatem, cuius primùm Lutetiæ iecerat fundamenta, tot locis Galliæ Rex Christianissimus constituerit, & immensis sibi adstrinxerit beneficijs. Nullum mihi ijsdem de causis de Beato P. Xauerio qui nouum orbem Euangelij radijs illustrauit, dubium relinquitur. Quantò minùs de te Ludouice (Princeps Sanctissime) B.P. Ignatius Loyola. B.P. Xauerius. S. Ludouicus.

qui

qui olim clauum Franciæ feliciter tenuisti, & ad quadringentesimum ferè annum sanguinem tuum in Henrico nostro propagâsti, quantò inquam minùs de te licet dubitare? Tu cùm in æternæ felicitatis speculo, quo patent omnia, supremũ tui flosculi cerneres periculum, cùm Lutetiam tuam ex cælesti arce prospectares, cùm pridie funestas Idus pardum illum ferro & rabie armatum circa regium currum volitantem videres, qui nepotis tui cruori rabidis faucibus inhiabat, qui fatalem mucronem acuebat, qui brachium ad ictum iam exerebat, exclamasti credo ad Dei tribunal; Ignosce Domine, Ignosce meo sanguini! saltem si corpus principis hoc parricidio fœdari permittis, serua quem potes animum; extremum lumen impertire vt se agnoscat, vt te videat, vt tibi supplicet, vt tuam misericordiam suà sponte semper incitatam moueat, vt de huius vitæ statione aspirante tui fauoris fide discedat.

47. Vtinam (parens diuinissime) nepoti tuo vitam prorogasses, vtinam viueret & merita regiæ virtutis augeret in terris! Quod si Franciæ noxas alicuius cruore elui oportebat; vtinam is ipse qui hæc scribit, qui lamentatur, qui tuam opem inuocat, huic sacrificio fuisset destinatus! Certè mutata veste sedisset in curru subdititia pro tuo filio victima, ferrum excepisset corpore, sanguinem & quicquid superest vitæ pro Rege, pro patria, pro suà salute exhausisset, fuissem tunc immortali affectus beneficio, fuisset regius ille è vita excessus, qui regem, & tantum regem seruasset: fuisset hic feralis currus honoris sedes, & mors ipsa, gloriosus ad felicitatem aditus. O princeps optime, cui fata immortalitatem debebant, hoccine modo, hoc loco, hoc tempore spiritum & sanguinem profudisti! Sed vbi sum? quid loquor? quem lugeo? quem alloquor? Quis me æstus animi abstraxit à sensibus? Romæ nimitum nõ sum, vbi lamẽtari me existimabam? Parisijs sum, quò me mearum cogitationum, amoris mei & doloris æstus abripuit? Aspicio infamem viæ ferrariç locum; video consceleratum parricidam! Proh immanis bellua! iam perculit, iam venenum instillauit, iam deferbuit. Capta est, sed seriùs quam opportuit. Heu currus aureis lilijs conspersus, versus est in le-

ctum

ctum funebrem? En qui cum Rege colloquebantur principes, en qui sedentes in equis viuum comitabantur, nunc cruentum cadauer, ipsi pæne exanimati prosequuntur. Tota ad huius mortis famam fremit Lutetia, hæret, obstupescit, & quæ antea omnibus gaudijs incedebat, tota consedit in horribilis faciem calamitatis. Heu me miserum! video infelicissimum spectaculum, video Henricum Magnum benignitatis & clementiæ viuam olim & spirantem imaginem, lethali vulnere confectum. Quæ plaga? quis ictus? quæ vis cruoris, vt currus antea triumphali purpura constratus, sanguine nunc perluitur! En friget, en pallet, en lucidus color Regios vultus obsedit, totus est in morte. Refert tamen ad cælum languentes oculos, Deum credo oculis alloquitur, nam vocem copia sanguinis interclusit. Ego interim clementissimum dominum supremùm alloquor, complector exanguẽ, Regias manus deosculor, errantem spiritum colligo, si fortè eius mortem accipiam, aut in eum animum amoris abundantia transfundam meum. Ploro, imploro, cælestes omnes testor & obtestor. Tu Deus Opt. Max. miserere, suscipe Regalem animum qui afflictam olim Ecclesiam suo suscepit sinu, & fidem sexcentis locis propagauit, sentiat fructum crucis, qui crucis vexillum in media Barbaria sustulit; Experiatur clementem Deum, qui fuit erga omnes mansuetus. Sed iam mihi sum redditus, iam ex hac iactatione ad pristinum orationis cursum redeo, & in quartum optimæ spei signum tanta quanta potest esse in his rebus fiducia asseuero, Deum cælestium, mortaliumque precibus huius principis salutem condonasse, vt ex hac vita ad hæreditatem filiorum Dei capiendam discederet.

48. Quintum, quod certam spem præfert beatitudinis, ductum est ab optimis consilijs quæ Rex paulò ante mortem agitabat animo, quod ego ex grauissimorum hominum testimonio, qui rem totam compererant, resciui. P. Cottonus Regiæ maiestatis seruus fidelissimus, quem publicæ calamitatis turbo priuatis doloribus afflixit, quique lubenter pro domino quem sæpe deuouerat, spiritum exhausisset, plura quàm ego ipse, cognouit. Cupiebat seriò omnes in rerum administra- *Quintũ signum ab optimis consilijs.* *Eius exercitus.*

G tione

tione regni errores emendare, & regijs se virtutibus in dies etiam atque etiam excolere. Nam quod ad exercitum attinet quem instruxerat (quoniam multis fortasse ansam præbuit liberiùs obloquendi, quasi ipse Hæreticos in damnum Ecclesiæ Catholicæ suis copijs iuuare statuisset) scio, Regem in eo non modò sana mente, sed etiam prudenti consilio fuisse, vt omnia in amplificationem fidei cederent, cessissentque si digna fuisset Europa quæ admirabiles triumphos spectaret. Perspexi ego ex litteris quas Romam miserat, quæ iam acta essent cum Electoribus Imperij, & quid ad Reip. vtilitatem moliretur. At eorum nemo, quorum iudicia præceps volvit temeritas, principis arcana & regij pectoris intimos sensus delibauerat. Ille interim rerũ euentus spectabat maturabatque, hoc regibus commune ratus, vt cùm benè fecerint, malè audiant. Hæc tam salutaria cogitata quæ ingesta fuerant diuinitùs, animum ad Dei misericordiam excipiendam in his præsertim mortis angustijs comparabant. Sextum mihi indicium vltimi pietatis sensus qui mortem præcesserunt, suppeditant. Nam tertio Idus Maias, qui dies inaugurationi tuæ cõsecrátus, fatalem illũm antecesśit, cùm sacrosanctis mysterijs interesśet, visus est redintegrato fletu collacrymari, quod inter ceteros animaduertit Nuncius Apostolicus, & tam dulci spectaculo exhilaratus continuò ad Christianiss. Regem misit, qui ei ob singularem religionem gratularetur. Eadem luce cùm ingentem populi frequentiam cerneret, quæ ad solemnes pompas videndi desiderio confluxerat; Hæc est (inquit) supremi iudicij facies: enim verò si Christus nunc orbis terrarum iudex aduentaret, felices nimirum illi qui parati Domino occurrerẽt. At eo ipso die quo est interfectus, mâne, tracto ad se lectuli in quo iacebat Conopeo, ter singulari feruore preces fudit, tum præter solitas orationes in musæo per semihoram magno cum pietatis sensu orauit, quasi mortem iam impendentem præsagiret. Et hæc quidem vir integerrimus, qui Regem latebat, oculatus testis vidit & detulit. Prӕterea cùm egrederetur è basilica, & se ad fatale iter in quo percussus est accingeret, salutari se crucis signo quasi aduersùs præsens periculum mu-

Sextum ab vltimis pietatis sensibus.

In sacrosanctis mysterijs.

In verbis.

In egressu è Basilica.

muniuit. Illuſtriſsimi proceres Eſpernonius & Montbazonius cum cæteris qui in eodem curru cum Rege ſedebant, viderunt defixis in cælum oculis, vt Deum (quem voce iam lethali plaga confoſsus implorare non poterat) inuocaret animo. Quę quidem omnia fidem faciunt magnę ad Dei miſericordiam in hoc vitæ diſcrimine demerendam propenſionis.

Septimū ſignum ab euentu poſt mortem.

49. Vltimum ſignum præferunt ea quæ Regis mortem præter hominum iudicia & vſitatum rerum humanarum curſum ſunt conſequuta. Admirabilis nempe Principum concordia verſa in Ludouicum Principem, ſingulorum obſequia, diuerſorum antea ſtudiorum conſociatio, tam fida noui Regis renuntiatio, quam oraculorum regiorum Antiſtites, tuæ Maieſtatis Conſiliarij, tum multi Principes, flos & lumen huius imperij quamprimùm fieri curarunt, quam ſapientiſſima Lutetiæ curia, ſua authoritate ſtabiliuit. Hinc omnium ordinum, omnium vrbium, omnium denique hominum concors & fidelis obedientia. Quæ quidem omnia prodigijs ſunt pæne ſimilia, contra ſpem mortalium, contra Dæmonis conſilia qui hoc vno ictu regnum funditus euellere ſperabat. Nec ſanè coniecturæ deerant fundamenta. Quis enim ſublato capite, funeſtam mortem corpori non ſuſpicaretur? Quis diuulſa membrorum compage exitialem ruinam non pertimeſceret? Sed nouerat Deus quid eſſet facturus, & fecit in defuncti Regis Filijque ſucceſſoris gratiam, ex quo magnum eſt argumentum eius animum in beatorum domicilio eſſe collocatum, cui tantus cæleſtium fauor aſpirârit, vt Regem noſtrum non minùs in morte admirabilem haberemus, quàm antea fuerat in vita.

Lacrymæ omnium.

50. Magna igitur Chriſto laus qui Tibi non obſcura dedit ſigna, quibus aliquantulum reſpirare & acerbiſſimos cruciatus quibuſdam ſolatiolis lenire poſſis; cum præſertim metus ille qui te & omnes bonos in tam funeſto & repentino caſu non mediocriter angebat, ſingulari Dei benignitate fuerit diſcuſſus. Accedunt multorum fuſæ querelæ & lamentationes qui vltrò in tui doloris ſeſe offerunt ſocietatem. Vniuerſus orbis Chriſtianus tantùm huius Principis mortem deplorat, quan-

Summus Pōtifex.

Illustriss. Cardinalis Rochefocaudus, D.Breueus. D.Espernonius.

tùm antea vitam est admiratus. Sanctissimus Pater Paulus V. ad huius cladis nuncios expalluit, & illacrymauit primigenio Ecclesiæ filio, cuius princeps est, & pastor. Primus omnium ad expiandos defuncti manes rem Diuinam fecit, deinde illi ad D. Petri in sacro purpuratorum patrum consessu, operante pro altari Illustriss. Cardinali Rochefocaudo, præsente V. C. Breueo, Christianissimæ Maiestatis Legato, & Nobilium Gallorum comitatu, exequiarum pompam cum funebri laudatione instaurauit. Eodem die in domo professa Societatis Iesu celebratum est sacrum, cum solemni officio quod defunctis exhiberi solet. Atque eodem in loco Deiparæ Virginis collegium, quod ex lectissimo omnium gentium flore compositum est atque conflatum, pias Henrico Magno sacrauit inferias. Præcipua fuit Galliæ Nobilitatis cura, mirifica illustrissimorum procerum Espernoni, Comitis Candalensis, & fratris eius Marchionis Valetensis pietas, qui nihil funebris apparatus prætermiserunt, vt in defunctum obseruantiam, & in Ludouicum Regem, cui à prima eius ætate famulantur, suum testarentur studium. Conspirarunt in idem officium Lateranensis basilicæ Patres, qui Regem de suo collegio bene meritum funebri oratione & solitis mortuorum inferijs honestarunt. Atque vt Romæ, sic etiam in Gallia noster hic ordo communem cum priuata iactura pro virili parte luxit calamitatem & Diuinam misericordiam parenti optimo dominoque munificentissimo quibuscunque potuit precibus conciliauit. Hæc dolorum societas & summa obsequiorum consentio potest tuos minuere cruciatus. Quæ verò antea dicta sunt magnum habent momentum, quo te impellant, vt Diuinæ voluntati quæ tam funestum casum fieri permisit, sine vlla curiositate acquiescas. Fecerat planè Deus hunc Principem dignum, qui longam annorum seriem viuendo expleret, aut alio fato moreretur. Sed quando hoc tempore, hoc modo ex huius vitæ præsidio migrare voluit, non sunt eius iudicia curiosiùs discutienda quorum sapientiam & iustitiam satius est nostræ mortalitati colere & admirari, quàm inuestigare obscuritatem. Præsentia videt Deus & futura, vtrisque pro sua prouidentia

con-

consulit, & quicquid agit aut permittit, cum sapientia & æquitate agit & permittit. Tum verò omnia ad gloriam & vtilitatem beatorum dirigit. Cùm Cainus Deo non impediente fratris cruore impiaret manus; cùm sequentibus omnium sæculorum curriculis boni viri ab improbis crudeliter vexarentur; cùm Christus Dominus cruci affigeretur; cùm Martyres Tyrannorum crudelitati destinati sexcentis supplicijs dilacerarentur, videbatur res ab omni ratione aliena, quæ fortasse multos impellebat, vt cum Ethnicis dicerent Diuinam prouidentiam abiecto rerum humanarum clauo obdormiscere molliter sempiternis delicijs affluentem, humana omnia cæco tumultu misceri, & ad arbitrium libidinis quasi furiosæ dominæ differri. Sed tamen Diuina bonitas fortissimis militibus coronam & immortalem gloriam ex ignominia, ex afflictationibus, ex ærumnis comparabat, quod vel ex ijs honoribus qui in Ecclesia militante Martyribus exhibentur, est compertum; sed luce & palàm videbitur, cùm æternus ille triumphantis Ecclesiæ dies illucescet, & cùm patebunt singulorum conscientiæ, cùm Dei iudicia lustrabuntur sole iustitiæ & reddet vnicuique quod suum est. Sed tamen quamuis tam inopinati rerum euentus ab humana intelligentia sint remoti, licet aliquando sine vitio curiositatis ad docendos mortales ex sacris monumentis caussas arcessere.

51. Prima est vt Principes, Diuinæ iustitiæ verberibus in his terris afflicti, sempiternis eripiantur pœnis. Quòd si eos impunè in suorum scelerum & flagitiorum luto volutari permittat Deus, quod solet Ethnicis principibus vel ijs qui sunt extra Ecclesiam contingere, magnum est argumentum atrocioribus supplicijs reseruari. Secunda est vt populum, nimia lasciuientem licentia sublatis optimis regibus quibus erat indignus, comprimat. Talibus enim minis Hebræos Deus frequenter terruit, & cùm non resipiscerent, perfecit. *Caussæ permissionis Diuinæ. Prima Iustitia.*

Et prima quidem caussa reges continet in officio, & modestiæ iustitiæque limitibus coërcet, dum sibi persuadent Diuinam iustitiam nemini parcere, nihil in hoc mundo siue in altero, siue etiam in vtroque impunitum fore. Secunda populos

Secunda. informat ad pietatem, vt digni sint quibus Deus concedat & conseruet optimos Imperatores, qui patrum, aut pastorum more summa cum animi mansuetudine, cura, vigilãtia Remp. administrent. Tertia est vt lubricam rerum humanarum aleam, spes opesque mortalium incertas, illustribus ante oculos subijciat exemplis, quæ nullis vmquam sæculis defuerunt. Omitto vetera, ea tantùm commemoro quæ experti sumus. Anno M. D. LIX. Henricus Secundus in ludis, in triumphis, in communi hominum lætitia est interfectus. Huic nõ dissimile exemplum sub finem decimiquinti sæculi Lusitania suggessit, Anno M.CCCC. XCI. Alfonsus Ioannis II. Lusitaniæ Regis filius, annum agens decimumsextum, splendidissimi ingenij & summæ expectationis princeps, Isabellam Ferdinandi Hispaniarum Regis maiorem natu filiam duxit vxorem, cuius dos erat amplissima paternorum regnorum hæreditas. Celebrãtur nuptiæ sexcentorum triumphorũ apparatu, vbiq; ludi, Troię, equestres pugnæ, conuiuia, tantus autem erat luxus vt calones & mediastini in attalicis vestibus fulgerent, quibus subserica & holoserica vilioris videbantur pretij. Sed proh dolor! vix mensis erat septimus cum miser adolescens ad ripam Tagi fluminis in equo iuueniliter exultans excutitur, & capite lethali plaga obtrito datur ad terrã, defertur in casam piscatoris quæ vix illum cũ duobus famulis caperet. Decumbit in stramentitia culcita, ibi efflat animam. Accurrit Rex adolescẽtis pater, cum Regina matre: vident spectaculum miserabile, versas in lamentationes pompas, surgentem filij adolescentiam, virtutes opesque quasi nascentes flosculos subito turbine decussas, infesto tumulo sepeliri omnia. Hæc aduersa fortunæ tela plerumq; immittit Deus, vt sapere discant mortales, nec in præmijs humanis spem ponant rerũ suarũ, sed inter hos accedẽtes & recedentes temporis æstus cõstantiam requirãt æternitatis. Huius quoq; sęculi voluentis initiũ, funestum protulit exemplum, quod eo maiori stupore omnium perculit animos, quo minùs expectatũ accidit. Quis enim vmquam dixisset, Principem quem tot bellorum pericula saluum & victorem dimiserant, iam pacatis omnibus in hoc otio & tranquillitate, à nebulone

Punitio populi.

Tertia documẽtum contra vanitatem.

In Genealogia Regum. Port. Duard. Nannez.

bulone interfectum iri? Quis ausus fuisset suspicari diem illum qui pridie Maias Idus illuxit, tam funesto vespere claudendũ? quis cogitaret magnificentissima spectacula lasciuientis populi lætitiam, ludos, pompas, triumphos, vestium armorũque apparatũ, omne deniq; instrumentum quod erat ad Regiam inaugurationem celebrandam comparatum, non modò extabescente iam die quasi ephemerum animal terminandum? sed post quadragesimum diem comitaturum exequias, vt ad D. Dionysij ædem regiam, delatum cũ supremo & inopinato luctu sepeliretur. Quod si tua Maiestas hoc turbine perculsa, cælestibus armis non restitisset, poterat sanè tibi vitam adimere, & quasi quodã mæroris fluctu obruere, si enim multorũ animas præceps & insperata lætitia excussit, quod Chiloni Lacedemonio, & Rhodio Diagoræ cõtigisse accepimus: qui cum filios in ludis Olympicis victores complecterentur eodem loci & temporis vestigio sunt exanimati; quantò magis illud effecisset dolor naturæ adeò inimicus, nisi te Diuina vis firmasset? Hęc effecit, vt non solùm aduersùs sæuientes procellas stares incolumis, sed etiam magno & generoso animo reipub. clauum administrares, atq; inter tot ciuilium motuum quæ impendere videbantur tempestates, saluam collocares in portu. Præclarum verò documentum, quo honorum voluptatumq; fragilitatem & ancipites rerum humanarũ casus cognosceres, tum cælestem opulentiam omni studio quęreres, fortuna suppeditauit. Hoc erat sapientissimi Regis præceptum, qui cùm res cogitationesq; hominum pleniùs haberet perspectas, & totius orbis diuitias non aurificis statera, sed accuratissimo veritatis iudicio examinasset, exclamauit, *Vanitas vanitatũ, & omnia vanitas.* Quam quidem vocẽ innumerabiles in magnæ fortunæ varietate Regũ mortes declararũt. Sed miseri mortales ad hæc fortunæ fulgura nescio quo pacto hebescunt, non illustrantur, & quod oculis cernere refugiũt, hoc sibi postremũ talis admoueri sentiunt, cùm ex offusa mortis caligine agnoscũt quod diuinæ scientiæ lux aperire debuisset. Tandem suo discunt periculo omnia in his terris senescere, & mori; Nihil verò mortuos præter virtutẽ vitiumq́; comitari.

Chilon. Plin. lib. 7. cap. 32. 53. Diagoras Gellius lib. 3. cap. 15.

Vanitas honorum. Eccl. 1. 2.

q2. Quarta

Quarta ad cautionem. 52. Quarta tandem caussa magni momenti præceptum continet, quod nos ad mortem omnibus horis impendentem instruit atque comparat. Hoc Christus Dominus æterna patris sapientia suis inculcabat sæpiùs, immo quotidie mortalibus inculcat, *Vigilate*, inquit, *quia nescitis &c.* Hac oratione dux fortissimus suos animat milites; Vigilate commilitones, cavete ne vobis in vigilia stantibus somnus obrepat. Mors enim facilè sopitos deprehendit, quæ siue clam, siue luce & palam latè vagatur per omnia, lustrat muros & stationes militum, munitissimas arces penetrat, & tum mucrone, tum naturali ossium duritia fores effringit, æquo denique pede pauperum tabernas, regumque turres discutit. Nullus ei ludus iucundior quàm si opprimat incautos, & in eorum pectus fatale telum intentet, qui nihil minus suspicati se totos sopori & segnitiæ tradiderunt; Cataphractorũ satellitia, & densatas pilis acies contemnit, ita cæca est & importuna: quod in hoc casu manifestum fuit. Accessit enim ad currum in quo regum bellicosissimus vehebatur, sex illustrissimorum Ducum comitatu septus, equitum peditumque turma circumuallatus. Volitabat credo antea, cunctorum latens oculos, per arma & cateruas militum solita sese iactabat ferocia: patrauit tandem quod deliberauerat. Sed illud vnum in tam miserabili casu bellè cecidit, quòd te (Rex Christianissime) non imparatum inuenit. Benè est quòd matutinis horis singulari quadam pietate eius opem subsidiumque flagitaras, qui te si morti subijci passus est, at certè mortis impios conatus fregit, ne te in periculosi interitus gurgitem præcipitaret, & repentino lapsu insultans, omnem spem adimeret salutis. Hæc matutina meditatio, cælestis fuit panoplia, ne ad tantum funesti vesperis conflictum, & extremum capitis discrimen imparatus accederes. Quis igitur tam negligens, tam parum de sua salute cogitans, qui non contra mortis impetus stabit in vigilia, quæ omnibus horis imminet, quæ & nullum sibi destinauit tempus quo debeat occurrere? quæ repit, volitat, insilit, nixu tacito, gradu suspenso, nullis antecedentibus signis, nulla caussa, nulla cautione in morbo, in valetudine, in periculo, in securitate,

Marginalia: Matth. 25.13. — Mortis insidiæ & audacia. — Mors repentina & insperata.

tate; ita nihil ab eius vnguibus ſanctum eſt aut tutum. Sanus erat & hilaris Tarquinius cùm piſciculi ſpina ſuffocatus eſt; Sanus quoq; Fabius cùm ei tenuis pilus, quem cũ lacte hauſerat, vitæ reſcidit filum; Muſtela Ariſtidem momordit, & momento temporis extinxit; Cæſaris Dictatoris pater hilariter ſurgebat è lectulo, & dum calceatur, egit animam; Alius Cæſar dum pede impingit in limen, properantem ſpiritum excutit; Legatus Rhodiorum cauſſam in Senatu magna cum admiratione orauerat, in limine curiæ protinus expirauit. Cn. Bebius Pamphilus, prætura & ipſe functus, cùm à puero quæſiſſet horas, ſenſit illico horam ſibi vltimam adeſſe. Denique mors infinitos habet aditus, quibus in ædes noſtras irrumpat & irrepat. Modò enim per feneſtras, modò per hypogæa, modò per proiecturas, modò per tecta ſeſe traiicit, & niſi ſibi conſcios in vrbe aut ædibus præuaricatores habuerit, humores dico corporis, morbos, catarrhos, pleuritides & ceteras cauſſas, quibus ad ſua conſilia tamquam miniſtris vti ſolet, tormentario puluere portas conuellit, igne, aqua, peſte, veneno, belluis, hominibus, cunctis denique machinis tentatam hanc vitam eripit. Quoúſque igitur mortales vobis oculorum aciem præſtringi patiemini, ad quem finem veſtra tam vecors iacebit deſidia? quando viri eritis? quando viriliter de rebus æternis cogitare incipietis? Hæc ſunt præclara documenta quæ nos Deus ex his funeſtis mortibus elicere deſiderat: Ceteræ quidem cauſſæ patebunt cùm ingens ille dies affulſerit, in quo Dei tribunal circunſtabunt ardentes iuſtitiæ faces, & magnus vbique ſplendor conveſtiet vniuerſa. At verò dum latent, noſtrum eſt Diuino acquieſcere iudicio, modeſtè venerari quod capere non poſſumus, & ignorantiam noſtram in rem vtilitatemque noſtram conuertere.

Tarquinius Priſcus. Guid. Bituric. Fabius Senator Plin. l. 7. cap. 7. Ariſtides. AElian. lib. 14. Cæſar. Plin. lib. 7. cap. 53. Quintus AEmil. Legatus Rhodiorum. Pamphilus.

53. Reſtat pars quinta & vltima huiuſce conſolationis, quæ ex ea iactura capienda eſt, quam tecum ex Regis morte tota contraxit Gallia; quæ quidem maior eſt, quàm ſi ipſamet Francia funditus fuiſſet conuulſa. Henricus enim ſaluus & incolumis euerſam reſtitueret patriam, vt olim eius ruinas reſarſit, & ingentem imperij molem quæ conciderat admirabili

Pars quinta conſolationis.

virtute

virtute restaurauit. Nunc autem etiamsi tota nitatur Gallia Henricum è mortuis excitare & ad huius lucis aspectũ (quod solius est Dei) reuocare, non potest. Atque vt hæc iactura est incredibilis, ita doloris acerbissimi materiam præbet, & priuatam requirit consolationem. Duo sunt autem solatij genera quæ ex aliquo damno contractum leniunt dolorem; vnum, si patienter feras; alterum, si rem amissam recuperes. Primum est omnibus malorum acerbitatibus remedium non minùs commune quàm necessarium : Secundum paullò difficilius est, sed melius; neque enim solùm patientiam roborat, sed acceptorum malorum delet memoriam, in quo fructus est suauissimæ consolationis. Magnus ille Iobus primùm quidem patienter ferendo suas solabatur miserias : sed postremùm damna & iacturas geminatis etiam præmijs resarsit, omni cumulatus est solatio, & continuò dissipatus est mœror, eiusque patientia coronata. Nihil opus est pluribus vt Maiestatem tuã ad huius calamitatis, quæ Deo ita permittente contigit, tolerantiam possim cohortari, cum præsertim Christiana sis, & his à pueritia Seruatoris informata documentis, qui militibus non tantùm suasit vt suam quisque ferat crucem & humanæ vitæ miserias æquo animo patiatur, sed ipse vt fortis Imperator illustri præluxit exemplo. Atque vt priuatim Reges Reginasque cum Principibus erudiret, passus est sibi corona spinea caput præcingi, manus arundineo sceptro muniri, & regia purpura in risũ corpus indui, vt Imperatores, credo, doceret, diadema regij capitis, esse redimiculum ex perpetuis ijsdemq; difficillimis ærumnis contextum; sceptrum, fragilem & ventosam arundinem; purpuram denique, risum, nisi ijs abunde præsidijs essent instructi, quibus tantæ difficultatum moli nõ impares fiant. Hoc igitur in primis curare debent vt caput cęlesti sapientia firmatum, excultum virtutibus quasi regijs vestibus animum, manum ad illustria facinora promptam, & ad sceptrum cum virtute & dignitate gerendum, expeditam habeant; & quantò honoribus ceteris excellunt, tantò se ad regiam mensuram maiori instruant patientia, vt qui magis aduersis fortunę telis, quàm vulgus hominum patére solent. Ego certò

Omnium malorum medicina patiētia.

Iob.

Corona spinea.

certò

certò ſcio (Regina Chriſtianiſsima) te hoc animi robore ſeptã, & his vndique virtutum adminiculis circumuallatam, vt quæ dignitate omnes in hoc orbe Chriſtiano principes fœminas; ſic etiam virtute & malorum tolerantia antecellis. Non eſt igitur quod pluribus agã in hoc genere. Venio ad ſecundũ cõſolationis genus, quod reſarta bonorũ iactura præſtare poteſt.

54. Si hæc iactura æquo parique munere penſanda foret, excitandus eſſet nobis Henricus noſter è tumulo, vt reuiuiſceret ſimul & imperaret, ſed hoc præſtare non poteſt noſtra mortalitas, neq; princeps mũdi Deus ad hæc crebrò miracula præpotẽtem expedit manũ. Tenẽdus eſt igitur nobis vſitatus rerum curſus quem Diuinę leges & humanę præſcribũt. Solet Deus in Eccleſia ad reparandas mortuorũ iacturas alios ſubſtituere rectores. Quamobrem Ioſephum in AEgypto Moyſes, Moyſem fortiſsimus Imperator Ioſue ad iuuandos regẽdoſq; Hebræos excepit. Hoc in rerũ natura ita comparatũ videmus, vt mortuus pater viuat in filio, vt plantæ, vt animantes, vt cetera fœcundis ſe mortibus reparent, & noua veteribus perpetua viciſsitudine ſuccedant. Phœnicem ferunt auem ſingularem ex ſuis renaſci cineribus, qui poſtquam longam ſæculorum ſeriem expleuit viuendo, naturæ ipſius inſtinctu, rogum concinnat ſuaui fragrantium lignorum copia refertum quem ſepulchri ſimul & lectuli loco ſit habiturus; in eo ſepelitur & quieſcit, mox etiam ex eo reſurgit ad vitam. Poſtquam enim afflantibus ſolis radijs & incenſa iam pyra conflagrauit, ales nobiliſsimus, vt ſuis mox funeribus pubeſcat, exiguũ vermiculũ relinquit in fauilla qui paulatim animã & ſpecioſi corporis induit ſpeciẽ. hic Phœnicis pater eſt, & patri ſimilis filius.

Damnũ irreparabile in morte Regis.

Phœnix. Plin. lib. 12. cap 4. S. Ambr. hexam. l. 5. c. 23.

55. Non diſsimili modo (Regina Chriſtianiſsima) Regũ Phœnix Henricus, Regium germen, non cineris, ſed ſanguinis & vitæ, reliquit, è quo ſuauiſsimi virtutum iam afflantur odores. Is eſt Delphinus Martis & Gratiarum pullus quem primo Regalium nuptiarum anno feliciſsimus fudit thalamus, dignum qui Genialem lectulum amabili liliorum candore ridentem primus ſuis natalibus honeſtaret. Habes in tua manu tenerũ floſculũ quem ad parẽtis virtutem, quẽ ad D. Lu-

Phœnix Regum noſtri ſæculi.

douici gloriam (cuius sanguinem habet & nomen) poteris excitare, vt inter sui seculi Reges quasi alter Phœnix emineat. Hoc est suaue tui doloris lenimentum, hoc afflictæ mentis solatium, hęc tibi & tuæ Gallię firmissima spes affulget, in quo planè magnum tuæ fidei depositũ Deus videtur commisisse, Regem & regnum; vt hoc sapienter regeres, illum piè casteq; ad regendum instituteres. Magnum tibi diadema, magnum imperium, & toto Galliæ regno longè nobilius proponitur. Si enim hunc Galliæ Phosphorum, Regem dico, Filium tuum honoratissimum, ad virtutis & regni decus sapienter informaris, si, vt Reginam Christianissimam decet, huius imperij gubernaculum tenueris, eam nominis gloriam apud mortales consequêris, quæ Regum omnium diademate futura sit illustrior, tum verò magnas & illustres gemmas comparabis, quibus cælestem coronam pijs omnibus in illo beatorum domicilio destinatam possis illuminare. Versatur tibi ob oculos opinor Blancæ Reginæ & D. Ludouici Principis exemplum, cuius vt similitudine conditionis potes sublevare dolorem, ita animum eiusdem fortunæ spe delinire. Relicta est vidua initio decimitertij seculi, & statim Franciæ moderatrix constituta, cùm maiorem natu filium haberet Ludouicum Nonum, annos natum duodecim, quem prima iam virtutis spe surgentem ad tantum promouit decus, vt ex mortali imperio ad cæli regionem transiret, relatus inter Diuos: Hæc omnia tibi conueniunt & omnium conditionũ in vtráq; mira consensio, & felix inde Maiestati tuæ spes proposita: Orbata es viro & Rege magno, initio sæculi decimiseptimi, gratissimo omnium consensu Regias obis vices, Ludouicum habes Decimumtertiũ, annos nouem natum, quem, Deo fauente, in cælestium ascribes numerum, eundem cælo & terris paritura. Vtinam (Regina Christianisima) Diuinis auribus tam iucundus accederem orator, vt redirem exorator, & omnia tibi quæ ad tantum & tam salutare consilium requiruntur siue præsidia salutis, siue ornamenta dignitatis impetrarem. Sed qualiscunque sum futurus, orare tamen non desistam, cum ijs omnibus qui partim in Gallia, partim etiam extra

Regina Blanca.

tra Galliam continuis precibus tuam ſubleuare conantur Maieſtatem, quibus ego etſi vitæ ſanctimonia longè ſim inferior, magna tamen me ſpes tenet, fore, vt eorum ſingulari curſu atque authoritate, adiutus non irritum orando ſuſcipiam laborem. Addo etiam votis ſaluberrimam rationem, qua in excolendo Ludouico prudens Regina feliciter vſa eſt, quamq; à Matre rectè inſtitutus filius in communem hominum ſalutem deriuauit; qua tu ſimiliter vti poteris & vt ſpero in Regis bonum atque vniuerſæ reip. cedet vtilitatem.

56. Hæc eſt igitur ad decus & beatudinem via, ſi regium floſculum amore ſimul & timore Domini ſacriſque virtutibus imbuas: ſi cæleſti animulę omnis peccati, vel etiam leuioris, odium inuras, cùm præſertim omne vitium ſit anguſtioris animi, & à Regia dignitate alienum. Quòd ſi Chriſtianis omnibus hoc à teneris vnguiculis inditum eſſe debet, quos Diuinus honoris titulus ſupra ceterorum hominum euexit dignitatem, & priuatis officij atque pietatis nominibus obſtrinxit Deo; quantò magis Chriſtianis principibus hoc curæ eſſe debet? Quid verò Chriſtianiſſimi Reges in hoc genere efficient, quos quidem vt ſint præcipuæ Diuinitatis imagines, ita etiam eximium planè animum & nobiliſsimis virtutibus exaggeratum, par eſt exhibere, tantò à vitijs remotiorem, quantò Diuinæ Maieſtati propior eſt. Atq; vt in Regum perſona cuncta per ſe magna ſunt, ita virtutes & vitia in iiſdem parua eſſe non poſſunt, & cùm benè ſe geſſerint, duplici laude digni ſunt, quòd & Deum gratiſsimo opere cõciliarint, & latiùs in mortales ſuarum virtutum ſparſerint exempla. Omnia enim Principum dicta factáque emanant in vulgus, nec illis magis quàm Soli latère licet. Quòd ſi ſe vitijs manciparint, non ſolùm Regiam dedecorant dignitatem, ſed infinitum malum deriuant in ſuos, & vnicuique ad peccandi licentiam præferunt facem. Singuli enim ſe ſuis erroribus honeſtiſsimum velum vitam principis prætendere arbitrantur, & nullum facinus adeo eſt demens, quod glorioſum non ducant, ſi ex Regis moribus exemplum expreſſerint. Dionyſij Tyranni canes aulici fingebant ſe hallucinari ad fercula, & quaſi non leui prurigine te-

Amor & metus Dei, regni fundamenta.

Reges Diuinitatis imagines.

Omnia ſunt in Regibus magna.

Dionyſius Plutarch

 nerentur

nerentur ſcalpebant corpus ſæpiſsimè, vt dominum luſcioſum ſimul & ſcabioſum imitarentur. Si Principem benignum pium & magnanimum eſſe contingat, omnes earumdem virtutum ſtudio tenentur; ſi voluptarius ſit, adhinniunt omnes ad voluptatem, quam virtutis habent loco. Sunt enim verè Reges, Soles & aſtra terrarum, qui copioſo lumine perfuſi & benigniùs illuceſcũt, & vim quandam cæleſtem cum Regiarum virtutum ſplendore transfundunt in mortales. Quòd ſi ſe aliter gerant quàm deceat, non modò à Dei natura degenerant, ſed quaſi peſtilentia ſydera genus afflant humanum. Si Deum diligant & metuant, amantur ab omnibus, timent neminem; Qui timet Deum non trepidabit, inquit Sapiens. ſi praui ſint & vitioſi contemnuntur ab omnibus & metuunt omnia. His opinor de cauſis Illuſtris illa Blãca, de cuius pietate nulla ætas conticeſcet, frequenter illud habebat in ore, ſe malle mortuum videre Regem filium, quàm lethali noxa irretitum: quod inſigne matris documentum tam auidè arripuerat Princeps optimus, vt ſexcentas ſibi mortes potiùs ſubeundas eſſe diceret, quàm ſe grauiori aliquo peccato adſtringeret. Nec modò id conſtanter ſeruauit in vita, ſed quam à parente acceperat doctrinam propagauit in filium.

Reges ſoles terrarum. Iuſtin.

Qui timet Deũ Eccle. 34.

57. His vbi cæleſtibus præſidijs firmatus fuerit Regis animus, illuſtriſsimarum complectitur ſemina virtutum, quæ ad regendum ſunt neceſſariæ, & firmiſsima iacit imperij fundamenta, vt qui ſolam Dei gloriam & ſuorum popularium ſibi proponit vtilitatem: habet ille in ſuo comitatu ſapientiam, vt quæ recta ſunt agnoſcat: habet docilitatem, qua bonum ſemel agnitum complectatur: habet iuſtitiam, qua vnicuique reddat quod ſuum eſt: habet fortitudinem, qua ſe ſuoſque tueatur: Illi in diuinis rebus ingens pietatis ſenſus, & ad Dei gloriam & hominum vtilitatem vindicandam generoſus ardor animi: Hinc optimum quemque reueretur, hinc malis terrorem incutit, hinc Chriſti vicarium & Apoſtolicam ſedem, vt Catholicæ Eccleſiæ maximus natu filius veneratur. Hæc eſt illuſtris nota, qua Diuus Princeps, quà ſucceſſores eius præter ceteros orbis Principes effulſerunt. Hinc illa nominum

Reges Franciæ Apoſtolicæ ſedis obſeruãtiſsimi.

minum decora; hinc illi tituli, quibus tamquam Christianissimi Reges & primigenij Ecclesiæ celebrantur: Illi sunt lapilli, illæ margaritæ quæ coronam Franciæ perpetuis honestant ornamentis. Atque vt regnum Dei singulari studio propagarunt, non obscura Diuini erga se amoris experti sunt indicia, cùm per tredecim sæcula Diuina manu firmatum imperium, & cælestibus auctum donis, contra omnem vim bellorum & turbulẽtissimas tempestates quæ varijs temporibus, tum præsertim hoc sæculo sunt ab Hæreticis concitatæ, magna cum laude tenuerunt. Ex eodem surgit fundamento summus populi amor in principem. Ita enim à Deo comparatum est, vt qui erga Numen fuerint pij, omnium sibi vicissim concilient animos. vt ijdem in periculis adeundis fortes, & expediendis difficultatum nodis felices inueniantur; quod per annos supra quatuor quadraginta, quibus Rex sanctissimus imperauit, non obscuris declarauit exemplis. Neque enim solùm multis factionum seditionumque domesticarum laqueis impeditum explicauit imperium; sed etiam octingentis supra mille nauibus insana peragrauit maria, vt cum fidei hostibus signa conferret, atque in tota Palæstina, Ægypto, Africa ad omnem sæculorum memoriam suæ pietatis & fortitudinis impressa reliquit monumenta, quæ magna cum Gallici nominis admiratione intuebuntur posteri, & ipsa fouebit æternitas. Sed quod admirabilius est, cùm bella difficillima infinitis gereret sumptibus, ipse in manus hostium incidisset, suam & lectissimæ nobilitatis vitam cum plurimis captiuis è latronum manu ingenti redemisset pecunia; populum tamen vectigalibus onerari noluit, sed suo periculo rem totam perfecit. His virtutum gradibus vir Diuinus ascendit in cælum, ijsdemque vestigijs insistẽs Rex Ludouicus sub tuis auspicijs auum consequetur, si modò Dei aspirârit beneuolus fauor, qui solus largitur virtutes, & diuos efficit, cuius æquabilis vbique viget potestas nullis limitibus circumscripta. Leniet igitur Henrici Magni iacturam nouus Henricus: proauum nobis referet alter Ludouicus, de quo feretur illud Sapientis elogium; *Pater eius mortuus est, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit*

Sanctus Ludouicus.

Eccles. 30

liquit post se: Stabit Christianissimum imperium, ducis quasi capitis virtute & singulorum membrorum quæ remanserunt integritate: Quod enim ad religionem spectat, sunt pontifices, doctores, religiosæ familiæ, & omnis Ecclesiæ cœtus; sunt Principes affinitate sanguinis cum Rege coniuncti; est flos generosæ nobilitatis quibus regni corpus quasi lacertis roboratur; sunt iustitiæ præsides, Reip. lumina & columina, quorum omnium incredibilis vt fuit initio ad regnum propagandum, & Dei gloriam cum populi salute augendam, in dies consensus est futurus.

Principes Nobiles.

Curia.

58. Nec verò est quod te Regis commoueat infantia, hanc enim ætatulam Deus peculiari sustentat auxilio, in eam pleniùs suæ radios diffundit virtutis; quod ex S. Ludouico & Salomone patet, qui duodecim annos nati, magnam imperij molem suo nomine sustinuerũt. Quid Ioam commemorem, qui septennis puer ad Regiæ Fortunæ culmen & iustitiæ sedem est euectus? Euenit etiam plerumque vt huiusmodi Regum amici, nescio quo pietatis sensu præter vsitatum rerum ordinem, perfundi videantur, & inimici terrorem sibi de cælo incuti sentiant. Instruxerant aciem Macedones aduersùs Illyricos suis viribus ferociter exultantes, illi vt suos animarent milites, Regem infantulum, etiam tum in cunis vagientem, in primo agmine constituunt, hinc terror hostibus Illyricis, & Macedonibus tantus accessit animus vt gloriosam sub infantis auspicijs quem Barbarorum contemnebat audacia, referrent victoriam. Est igitur, quod tua Maiestas in his miserijs cum tota Gallia respiret: est, quod ex sua iactura spem, & ex luctu percipiat consolationem. Respira ergo (Regina Christianissima) & iugi impetu fluentes lacrymas atque suspiria comprime. Excita te ad eam felicitatis spem quã Diuina tibi portendit sapientia. habes regium germen, tenellam arbusculam, quæ sub clementiori sydere crescet, & ita crescet vt ingentis illius arboris quæ è terris translata est in cælũ, impleat locum. Tuum est viuis pietatis & sapientiæ fontibus irrigare, vnde fructus illi emergent, quos tota sperat & desiderat Gallia. Pátere, tibi inter dolorum incendia, hanc veluti frigidam

Deus Pater orphanorum.
Salomon Rex creatur ætatis 12. Item S. Ludouicus. Io.4.7.

Macedones. Iustin. l. 7.

in-

instillare, & pro humanarũ rerũ conditione læta tristibus aliquando succedant. En ridet cæli serenitas, en clementiores spirant auræ, en post diuini parentis occasum nouus oritur phosphorus, qui Galliam suis radijs illustret. Tuque bonis auspicijs progredere (Rex Augustissime.) Progredere, inquam, Ludouice, cælestium flosculе & mundi delicium. Tu supra tuæ Franciæ horizontem quasi benignissimum sydus per ætatis & regiarum virtutum gradus assurge, tu Christianissimi Regis lumine & fulgentibus cælestis iustitiæ radijs quibus totus emicas, in tuos populares influe. Vtinam singula quæcunque olim magnis Regibus concessa sunt cęlitus ornamenta, in te confluant vniuersa! Vtinam tibi plena manu cælum indulgeat, tui proaui sydere radiatum! Vtinam sit Ludouicus Nonus, & Henricus Quartus, vel etiam vtrumque virtute & felicitate superes: non enim tibi tuam inuidebunt gloriam. Sis Decimustertius, Nono & Quarto superior, immo nonũ & quartum simul complectens, decimumtertium effice numerum absolutum. *Ad Regẽ Ludouicum.*

59. Tu verò, Francia, est quod spires & speres omnibusque lætitijs cumulata incedas. Tibi enim tuus est redditus Henricus. viget & vigebit non solùm ore mortalium, sed in Filio qui paternarum virtutum clarissimas nobis præfert species. Tu quoque cum vniuersa Gallia, si potes respira pusilla Iesu Christi Societas, & in priuata calamitate communibus vtere lenimentis, quamquam inimicorum acerbitas omnem tibi inuidit consolationem, omnes præclusit aditus, vnde aliqua instillaretur lætitia, & hoc vnum desiderat vt tu in perpetuo squalore & miseria contabescas. Vix tuus parens ex hac vita discesserat, iacebas luctu & mœrore confecta, quærebas officia pietatis quibus sacratissimo pignori quod tibi reliquerat, pro dignitate parentares, cùm ecce insultāt inimici, inuadunt, & te vigintiquatuor lethalis calumniæ plagis, (non tot olim Cæsar est confectus cùm vigintitribus ictibus est traiectus in curia,) crudelissimè confodiunt. Sed inter ceteras vna ad cor vsque permeauit, ipsa crudelitate crudelior, cùm impudenti ore gestiens calumnia tuæ vestis nitorem & munditiem *Ad Galliam.* *Calumniæ in Societatem post Regis mortem.*

mortui parētis ſanguine auſa eſt aſpergere. Conſcendit in ſuggeſtū Lamia omni diritate teterrima, ſine frōte, ſine oculis, ſine conſcientia, monſtrū planè horribile cui ſoli prominebant dentes turpi rubigine infecti, oris luridus pallor, & deformis macies nudata carnibus oſsiū cōpage reſtabat; diaconis alicuius peſtilentem ſceleton aut exſiccatum cadauer dixiſſes. Quid tum? dignam hac ferali effigie vocem aut potius latrationem emittit, te librū ſcripſiſſe qui doceret Reges interficere; cuius lectione ſceleſtus ille parricida ad facinus fuiſſet armatus. O fanatici tenebriones! Quod genus hoc contumeliæ? Hæccine mendaciorū portenta pro concione veritatis in vulgus audetis ſpargere. An verò ignoratis, quod ſacrilegus ille furcifer interrogatus, reſponderit, Se nunquā librum illū legiſſe, ne quidem audiuiſſe. Certabat enim in eo cum pari malitia par ignorātia, neque ſi legiſſet potuiſſet intellegere, neque ſi intelexiſſet hoc quod vultis documentū inueniſſet. Non eſt enim, nō eſt hæc doctrina Ieſuitarū, ſed impiorū Hæreticorū, quos ſacra cōcilia, quos Sacra Pariſienſis Facultas ante ducentos annos, etiā ſuperioribus diebus iure & meritò damnauit. Hanc hæreſim Caluinus & Beza cum ſuis miniſtris redintegrarūt, hāc multi è noſtris ſcriptores nō obſcuri, acriter, vt debebant, impugnarūt. An verò os habetis ferreū quod omnē exhauſerit verecūdiam? An ſenſum omnem exuiſtis? An conſcientiæ faces & verbera nondum ſentitis qui turpiſsimis maledictis Catholicarum concionum decus contaminatis? Non eſt (Regina Chriſtianiſsima) quod aut ego contortos ictus eludere, aut ferales harpyas roſtris exuere coner, Tua enim Maieſtas cum ſapientiſsimo conſilio, omnes inuſtas huius ordinis nomini plagas pertentauit, & prudentiſsimum illud Themidis oraculum Pariſienſis curia ſycophantis aures nullo modo præbuit, ſed hanc Societatem ſua innocentia & integra nominis fama gaudere voluit, neque enim exiſtimauit in Reges dictū eſſe, etiam in Reges Chriſtianiſsimos, quod de Tyrannis eſt pronunciatum. Prouidit etiam Deus noſtræ integritati qui pro nonnullis calumniatorum quiſquilijs viros bonos & graues Pontifices nobilitate, virtute & doctrina ſpectatos nobis conceſſit,

Pariſienſis facultas hæreſes contra Regum Maieſtatem damnauit in Concilio Conſtantien. Seſſ. 15. Caluin. in Daniel. & multis in locis.

cessit, qui nostræ caussæ patrocinium susceperunt. Inter quos fuit Parisiensis Episcopus, qui dicto scriptoque publico falsos improbissimæ calumniæ rumores quasi adulterinos nummos damnauit. Episcopus Andegauensis & Olbiensis laudatione funebri, quam partim Lutetiæ ad D. Mariæ, partim ad D. Dionysij habuerunt, innocentiam nostram, ijs quibus valent armis veritatis, pietatis, eloquentiæ, doctrinæ, tutati sunt. Accesserunt Illustrissimi Cardinales Ioyoseus, Gondius, Surdinus, Peronius, qui, cum Tua Maiestate, nos paterno amore & cura defenderunt. Vtinam tanti erga nos beneficij & ceterorum omnium centuplicatam in cælo mercedem accipiant! Respira igitur, ô parua Societas, serui Deo & Regi ea qua soles integritate. da te totã Reip. impende te hominũ saluti, age fortiter, etiãsi malè audias, & infames corui, tuo nomini obstrepant. Ita viue, ita labora, vt qui maledicere voluerint, sine mẽdacio maledicere non possint. Quot patienter tuleris calumnias, tot magnas & illustres gemmas cõparaueris, quibus tuæ patientiæ coronam possis contexere. Tu verò Regalis anima, quæ nos in tuam cliẽtelam susceptos tam singulari studio defenderas, quæ ex his corporis cõpagibus excessisti, præter opinionem, præter metũ, præter nostram omniumq; volũtatem, illas æternis syderibus illuminatas beatorum arces incole, atq; in ipso felicitatis sinu molliter conquiesce. Te tua Lutetia, Te singulæ vrbes, Te Frãcia, Te tota Europa defleuit, luxit, lamẽtata est, & nunc deflet, luget & lamentatur. Neq, tamen tuam tibi inuidet beatitatem, quã Diuina sanxit voluntas. Hoc vnũ erit nobis inter cetera solatiũ, si æterna Dei cõsilia, si beatã illã immortalitatẽ tuam, immortali honore veneramur, & noster hic ordo quẽ supra omnes religiosas familias, tuis tibi beneficijs adstrinxeras, cui priuatã in hac orbitate calamitatem, cui sempiternum tui desiderium reliquisti, quoad anima spirabit, prosequetur. Tibi seruiet in sobole; Tua ossa, Tuos cineres, & Regium illud beneuolentiæ depositum seruauit & exosculabitur: & quotquot erunt in nostris gymnasijs alumni ad pietatem & mansuetiores musas instituti, tot habebis tuarum laudum præcones, tot titulos, tot parentationes, quarum iam


Reuerendiss. Episcopus Parisiensis, Andegauensis, Olbiensis.

Ad Regẽ defunctũ.

partem reddiderunt,partem reddent, partem omni sæculorũ memoria soluendam relinquẽt. Hic ego vos, lectissimi Galliæ & ceterarum gentium adolescentes,ad tantum & tam religiosum munus hortor quantum maximè possum, immo etiam oro & obtestor, vt vno consensu hanc omnes vocem proclametis; Viuat & regnet Henricus Magnus. Viuat & æterno æuo perfruatur in cælo. Viuat Ludouicus Decimustertius magni parentis soboles. Viuat in terris & familiæ decus augeat,longa annorum, successorum sæculorumque serie propagatum. Cùm verò sequentibus annis, postquam sol princeps syderum,lustratis omnibus Zodiaci signis, anniuersariam reparârit lucem,quæ pridie Idus Maias suprema Regi nostro illuxit; tum vos certatim flores & corollas, provt Veris media tempestas feret, in honoratissimi domini tumulum congerite; Regiam prudentiam, moris; bellicam fortitudinem, laureis; oliuis clementiã; lilijs candorem; rosis ardorem pietatis, & violis humilitatẽ atq; modestiam Principis honestate, quicquid Genij & Ingenij habueritis id totum ad eius laudes decantandas conferte. audiantur vbique sacra poëmata, lugeant næniæ, & argutis vocibus mixtæ fides mollissimos temperent cantus. efficite concentus amabiles, plenos, suaues, quibus Henrici nomen virtutes & decora laudibus in cælum vsque efferatis. vitam Principis celebrate, ijdem acerbissimam mortem deplorate. Et si quis spiritus ex ijs qui beatorum domicilium incolunt, vestras preces non respuat, orate vt eius benignissimo fauore bis septem vidui turtures, cum totidem moribundis oloribus ad vestros cœtus aduolent, qui vobiscum flebiles diducant nænias; Euocet idem spiritus ex altera parte carduelęs, acanthidas, ligurinos, luscinias, & quotquot sunt aues musicæ, quæ binos efficient choros, vestrisque & Angelorum respondebunt cantilenis, explicabuntque omnes quas à natura acceperunt harmonias, & mellito gutture fundicantes voculas, defuncti Regis nomen saxis & solitudinibus inculcabunt. Iidem ipsi à summo rerum opifice postulate vt eodem die cælum iubeat concretum micantibus gemmulis rorem fundere, qui rosis lilijsque, hyacinthis & violis mollitec ad-

Ad musarum alumnos.

adhærescens, totum sepulturæ locum crebris guttulis persper-gat; ex eo fiet dignus funebris pompæ apparatus ei cuius vita, imperium, mors & post mortem rerum successus tot cælestibus prodigijs admirabiles fuerunt. Ad hæc si placet vestris suspirijs extrema meæ lamentationis suspiria prosequimini, vt supremum Vale dicam mortuo, & inter confusam doloris nubem luctantesque animi singultus, hanc vocem excutiam; Vale Henrice Rex Christianissime, Principum Christianorũ gemma, Princeps fidei, Princeps legis & pacis, Princeps omnium miraculorum; Vale imperij Gallici restitutor, decus liliorum, exemplar Regum, felix quondam terrarum imperio, nunc regni cælestis auspicijs felicior. Vale Magne Henrice, Vale iterum Henrice, magne prudentia, magne bellica fortitudinem, magne clementia, magne pietate, omnibus ornamentis verè magne. Hîc me vox deficit, hîc mihi deest spiritus, & in his verbis meus consistit calamus. Vtinam Deus Regem Filium, & te Reginam Matrem, totam Regalem familiam Franciamque vniuersam sempiternis bonis cumulatam augeat & fortunet.



ÆTERNÆ MEMORIAE

HENRICO IV.

GALLIAE ET NAVARRAE

REGI.

C. S.



OALVERE Virtus & Fortuna, vt sociis dexteris MAGNI nomen, tamquam dotale pignus, erogarent in hunc Principem; ac ter magno illius inscriberent vertici, tamquam electissimam gemmam operosissimo oblaqueatam auro. Quem vitæ miracula loquuntur Incomparabilem, hunc Flesschia concepit, felici omine enixa est Pauium, infantiam Corasium fouit: vbi agrarijs plurimùm exercitationibus corpus mentemque indurauit, vt ex assiduis cum incommodis suis luctâ, verum robur colligeret, ne educationis mollities degenerem animum daret, magna iam tum spondentem. tritum illud, *Contemptum periculorum, eorundem aßiduitas facit.* &, *Solidissima corporis pars est quam frequens vsus exercet.*

Ortus. *Educatio.*

AEtatis anno septimo traducitur in Regiam, vt quorum diademati succedaneos aliquando supponeret humeros, tamquam Hercules Atlanti, eorum iam tum consuetudine assuesceret. Nec multò, Patris discit mortem, secessionem Matris, Patrui infauentiam: ita nulla felicitas diu stetit illæsa, iacent amici animis fracti, exilio serui.

Partium Dux.

Sextodecimo ætatis anno partium Dux, prostratas aduersis prœliis quatuor, mentes suorum erigit, manu tuetur & præsentiâ: tantum in omnem partem valet destitui & firmari Du-

cc.

ce. AEtatis anno vndeuigesimo iungitur nuptijs, non perennaturis, & funestis Matris morte, suorumq; proscriptionibus, libertatis quâdam expilcatione, seruitutis iniectione. Exuit hae se tandem, ac induit nouâ, non & maiore? quâ plurimùm vestiuntur quotquot ciuilibus imperant bellis. In quibus adæquata illi semper cum milite pericula, cùm non ducis modò, sed & militaria obiret munia: doctus illa imperia valere, quæ ab imperantis manu initia ducunt; donec in quietis portum, peritus nauclerus, positis ciuilibus fluctibus, suos sisteret, quintâ demum Pacis editione. Non stetit diu hæc malacia, versa in decumanos fluctus, quæ olympiade non vnâ instructissimos exercitus quatuor, Gallici robur imperij, exonerauit in vnum. Pugna Coutrasiaca, orientis post tot occiduos soles spei clarum sidus, metum iniecerat, quibus non poterat amorem. Successit mors Principum duorũ. vidit in hac Gallia, in amphitheatrali suorum sanguinum ludo, editores extraneos, & ingemuit. Rex exinde, obsesso Turoni quam imperanti similior, expertus est fortunatas has ereptrices manus. quæ etiam stitissent illum in Vrbe suâ Principe, nisi insigni parricidio præcisa felicitas, in medio cursu deseruisset properantem. *Mors Guisian. Princip.* *Mors Henrici III.*

Luxit dehinc Gallia, & secta in partes cùm nequidquam in oligarchiâ spem posuisset, amplexa est Regem, & in eo caussæ æquitatem. Sensit hîc Rex validissimum Europæ robur in se versum, hostium insolentiam, frigus suorum. Bella ex his initiis secuta, vrbiumque tot propè oppugnationes, quot sedes. è quibus enascentia pericula, tamquam hydram fecundis vulneribus renascentem, meditata domi, repastinat in agris. Felix Dieppa, parentiæ militaris nobile documentum. Ibit Arquesia in postuma exempla inuictæ mentis. Parisij stupent inequitantem portis, ac triumphali cataphracte indutũ, minitantemque ac prouocantem vltrò, quem victum credebant. Vindocimum, Cenomanni, Lexouium, Ebroicenses, Alenconium, Vernolium, cedunt armato. Melanium vitam suaque illi debet. Yuriacum denexam capiti coronam nectit. Medonta & Vernona venienti occursant. Melodunum temeran- *Rex deligitur.* *Bella.* *Vrbes receptæ.*

rantis ausus pendit pœnas. In S. Dionysio æternaturis se oblectat monumentis. Hoc supereſt poſt hanc vitam, factaq; fortia. Pariſienſes perierant, vetuit perire. Corbolium, poſtquam ruinâ ſuâ inimicam propè ſepeliuiſſet aciem, receptum, vigilantiam teſtatum eſt. Pons Arſius miratus ductricem manum, conſtantem Carnutum, animatam Nouiodunum, excubantem Louuiacum: Albomalla profuſi teſtis ſanguinis; Rhotomagum extrema paſſum, vltrò videt occurrentem hoſti: quem Iuctotium ſoluit ordinibus, tegit Caldobequium fugientem, trepidantem Aſprenciacum, dedecorant Druidæ. violentatæ ciuitates teſtantur robur; fidem, quæ fidem ſecutæ, clementiam inſperatò captæ. Nulla quem dies vidit cadentem, nulla non vidit vincentem. idemque Deus qui in maiorum locauerat ſede, ſceptro, diademate, parricidales arcuit manus, firmauitque mentem præprouidâ futurorum cognitione, quâ immortales Galliæ ſeceſſiones morti damnat, nouaque in ſemine ſuffocat ſuo cogitata mala, nimiùm fecundo commiſſa ſolo. His triumphis adnectit victoriam ſui (hoc eſt Regis, ſe vincere cùm vicerit reliquos) exertatq; brachia veritati antè refugæ. decurrit ad Eccleſiam, agnoſcit filius matrē: & CHRISTIANISSIMI nomine inſignitur in Templorum omnium retrò veterrimo. quo quaſi falce præciſus omnis maleuolentiæ auſus, proborū deterſus metus. Meldæ, Lugdunum, Aureliæ, Bituriges, agnoſcunt Regem. Sed & hoſtes, nudo ſe ſuaque Regio permittunt verbo: certi non alia illius eſſe labra, quàm oraculum falli neſcium; nec cor aliud, quàm oraculi ſedem templum. Pariſij recepti loquuntur clementiam, rediuiuam ſentiunt Iuſtitiā, Securitatem & Felicitatem comites. videntq; verū pectus Regium, quod nec metuere, nec odiſſe didicit hoſtes; quos etiam armatos benigno proſequitur fauore. Stetit Laodunum hoſtile monumentum; Francofontana, acerra decinerati faſtus. Quæ ſecutæ ciuitates fuerant in hoc regni turbine inclinationem maiorū, earumdē imitatę ſerenitatem. Burgundiam ſtringit firmiore nexu, totque annorum ciuilia bella mergit in Clementię ſuæ Oceano, cùm etiam ſupplicia vertit in præmiationem. Pacat Prouinciam:

Caſtelli facinus.

Eccleſiæ reconciliatur.

Pariſij reducem ad Regē.

ciam: domat efferum Feræ pectus. Maſsilia libertatem recuperat, libertatis ereptore ſublato. Indicit Rhotomagenſium comitia publicæ quieti, ſalutarium edictorum robore. Iberia Ambiano recepto, cùm vim ſenſiſſet æquitati cedere armiſq; Gallicis, optatâ demum pace, communi potiſsimùm Chriſtianorum Parente adlaborante, finit bella, bellique præmia captas reſtituit vrbes. Exultat Britannia ſecuta victorem, pace quàm armis felicior. Hinc etiam Alpes oppugnatæ, non & expugnatæ? ita nihil virtuti imperuium. Montmeillanum trepidat, & ſolo diſcingitur obtutu. Pedemontanus ager fit Gallici limes: nec longè aberat Mediolanum, ſtupente Italiâ: verùm his armis ſua venerat, non aliena vindicaturus. Nec ſtitit hunc curſum iniquior fortuna, vnicum repreſsit publicæ quietis ſtudium. Redit hinc triumphis diues; & ne ſolus, ſociam ſibi adſciſcit sereniſsimam MARIAM, cælo iam antè Virtutis Reginam, quàm Galliæ deſignatam; in quâ affluentiam donorum, præcedentium videas coronamentum, liliorum decus immortale. *Pax cum Ibero.* *Arma in Sabaudiam.* *Matrimonium cum Medicea.*

Hactenus reliqua. Vna iacebat Iuſtitiæ ſeueritas: quam paſſus in vnius ſæuire caput, metum in plures, exemplum in omnes. Deflat deinde molimina improborum, in Regni nata perniciem; euertitque cogitationes eorum, qui peiora ſecuti, priora ſemper bella ſequentium deſignāt ſemina, æternâ redanimatione. Remediatur diligentiâ vlceribus, quæ aut neglectu aut morâ ſi inualuiſſent, omnem fugiſſent medicam manum. Ergo venit, vidit, vicit. Sedanum illius aſpectu, tamquam ictum fulmine, iacuit exanime, temerantium terror. Iam quidquid volet, lex eſto; quidquid ſuaſerit, imperium: ea eſt prudentiæ opinio, quam & Romani venerantur, laudat Italia, fatetur Belgium, conſiliorum illius aquilas ſecutum. *Bironij Mors.* *Battauicæ induciæ.*

Felicia pacis auſpicia, optata quies quinque & triginta annorum ſanguine parta. hæc vinculat inimica, calentes adaquat, gelaſcentes intrepidat, redanimat ſtudia, reſcindit exilia, negotiationes & emortuas artes nouo veſtit flore. vt iam Gallia periiſſe cenſeri debeat inſalutem, hoſtiliq; manu cecidiſſe,

vt

vt illius surgeret vsurariâ largitione; post spolia nimirum fœnore interitu. ita natali funere decedens atque succedens iterùm Phœnix seipsum funerando renouat. Semper AVGVSTVS, Verendus, Amatus, excrescere videt quinque frutices Regiâ consitos manu, rorariâ germinantes aspergine diuinâ, Galliæ bono.

Multiplex Regis virtus.

Quocumque se vertit, elucet Pietas, Magnificentia structoria, Prouidentia ærariа, Liberalitas donatiua, Iudicium in delectu, Promptitudo in responsis, Magnanimitas in fortuitorum euentu, Fides in fœdere, Moderatio nullo non tempore, in agẽdo Prudentia, Iustitia in omnes. Tam infractus doloribus, quàm inimicus est otio. & quo alio incanuit Regius vertex si non vigili curâ? Iam lauri tempora inorantes, quid nisi Victoriæ manu è tribus iustissimis prœliis, è quinque & triginta armatis congressibus, è quadraginta supra centum prœliis regiâ pugnatis manu, è trecentis locorum oppugnationibus, decerpti? His creuit ingens decus; quo singulari Dei munere, Propugnatorem agnoscimus tranquillitatis publicę, publicique Status redhibitorem, Ecclesiæ ornamentum, Christianorum Arbitrum, Orbis Delicias,

FINIS.

APPROBATIO.

HÆc consolatio ad Reginam Galliæ Regis matrem regniq́ moderatricem, in funestam mortem Henrici IV. Christianissimi Francorum Regis, Eiusdem augustissimi atque honoratissimi coniugis ex Gallico R. Patris Richeomij Societatis Iesu, nihil Ecclesiæ Catholicæ contrarium continet. Poterit igitur iustè typis mandari. Quod testor: 27. Iunij. Anno 1612.

Egbertus Spitholdius S.T.L. Canonicus & Plebanus Antuerpiensis Librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI ET ISABELLÆ CLARÆ EVGENIAE Infantis Hispaniarum, Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimorum Belgij Principum, Priuilegio cautum est: nequis *Iusta Anniuersaria Henrico Magno P. Richeomeo Societatis Iesu*, prętér voluntatem Hieronymi Verdussen, Typographi Antuerpiensis, infra sexcennium imprimat aut alibi impressum in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & alia graui pœna mulctabitur: vti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ prid. XIII. Iulij M. DC. XII.

Signat.

Le Comte.

Et in Concilio Brabantiæ

I. Buschere.




IHS